

TORFS



~~1772~~

Wiederholung

Wiederholung



2

DISSERTATIO ANALYTICA
DE
SYLLOGISMO
APATETICO

QVAM
D. O. M. A.
IN ILLUSTRIS JULIA
PRÆSIDE
HENRICO WIDEBURGIO
PHILOSOPH. ET OPT. ART. MAG.
LOGICES PROFESSORE PVBLI-
CO ET ORDINARIO
DNO PATRONO AC HOSPITE SUO
OMNI HONORIS ET OBSERVANTIÆ CULTU
PROSEQUENDO

*Publico Eruditorum Examine
sistit*

JOHANN REINHARD *Spizbart* Eldage ssensis
AUTOR ET RESPONDENS

Ad D. XXVII. Martij
Anno MDCC LXXIIX.

T 173
IN MAGNO FVLEO.

Helmeſtadÿ, Typis HENR. DAV. MULLERI Acad. Typogr.



THESIS I.



Um in toto hoc Universo nihil veritate vel præstantius vel honorificentius vel sublimius, quove homines ad sinceram Supremæ Mentis perfectionem propius accedant, inveniri possit: & simul ad hanc inquirendam accerrimos stimulos divinitus animo suo inditos plerique persentiscant: consentiens tamen omnium seculorum testatur experientia, mortales tot errandi periculis hinc esse obnoxios, ut quâ parte propter naturæ præstantiam debebant esse perfectissimi, hâc maximè langueant, & ab origine sua longissimè recedant. Neque verò jam eorum suffragia colligemus, qui omnium seculorum consensu infinitis aliis sapientiæ gloriam præriperunt, quorum communis est cum Timone querela, quod τὸ Φαινόμενον πάντῃ θείας τῆς ἀλήθειας, opinio ubique præ veritate valeat; nemo sanè est rerum vel veteri vel recentiori ævo gestarum tam imperitus, qui ignoret, quam perniciosi errores magno agmine & olim & hodie in mundum sint investiti, quibus non modò animæ nostræ, sed corporis quoque & fortunarum, nec privatorum tantummodo, sed amplissimorum quoque regnorum salus atque incolumitas evertitur. Quamvis autem vera deplorandæ miseriæ hujus origo gentilium sapientes, peculiari Dei revelatione destitutos,

lateret, quæ Christianis nobis ex eadem satis innotuit, nil tamen operæ reliquum illi fecere, quò ignorantia errorumve tenebris declinatis in claram veritatis lucem emergerent. Quod ipsum, cum per plurima secula in diversis gentibus non pauci laudabili quidem, sed haut multum promovente labore conati fuissent, feliciter atque majori cum veritatis incremento fieri illud coepit, postquam ex Principijs, quæ Deus ipsemet animo mentique hominum inseruerat, certa deducta atque secundum methodi leges disposita erant præcepta, quibus, quamdiu mortales insistant, non modò feliciores, sed ab errorum quoque diverticulis satis tutos ad veritatem investigandam experiuntur accessus. Primus iustum & propè absolutum eorundem Systema exhibuit nobis Aristoteles: cuius parte nobiliori, quam ipse passim Analyticam appellat, dum ad scientiam & solidam veritatem cognoscendam viam arte prorsus incomparabili demonstrat, pari prorsus sagacitate potissima diverticula indicat, in quæ, si à veritatis tramite mens fuerit abrepta, non modò ignorantia, sed, quod multò tristius, errorum labe eandem infici necessum est. Cum verò & hinc observare detur Aristotelis familiarem τῶν ἐννοιῶν πικρότητα, ἢ τὸ συνεχραμμένον τῆς φράσεως, quæ dicendi characterem dudum in illo observavit Simplicius, non abs re, certè à studiis meis non alienum putavi fore, si quæ paucis ea de re ab eodem sunt perscripta, paulò clarius evolvere, atque illustrare, nec non aliqua ad institutum facientia forsitan adjicere conarer. Quod dum facere instituo, commodum prudens Chabriæ Atheniensium Ducis dictum in memoriam mihi redit, quod gravissimus autor Plutarchus inter Apopthegmata nobis servavit: *Eum optimè Ducis munere fungi posse, qui res hostium quàm maximè cognitas haberet.*

II. Quod

II. Quod verò in bello sæpe contingit, ut vix quisquam Imperator adeo probè omnes rationes subduxerit, quin præclara ejusdem consilia varijs hostium insidijs everti possint: idem & nobis in veritatis inquisitione occupatis accidit. Cùm enim ad veritatem non nisi unicâ pertingere detur viâ, unde eadem à divino sene Hippocrate ἀφελὲς πεπλοκισμῶν in Epistolis inducitur: multis tamen modis ab eadem deflectere, & in ignorantia vel errorum diverticula mortalium animos abstrahi deprehendimus, quorum præcipua si in primo limine hujus προγυμνασείας indicaverimus, ad reliqua distinctius proponenda haut exiguum accedet momentum. Atque hîc primò omnium observandum est, ignorantia duo esse genera, aliud, quod aliquam adhuc cognitionem relinquit, aliud, quod omnem illam penitus excludit.

III. Prior ignorantia κατὰ τὴν ὑπόληψιν ex opinione vel existimatione eâque falsâ contrahi dicitur; atque existit, quando quis ipsemer apud mentem suam sive per incogitantiam, sive per ignorantiam tales pro veris amplectitur enunciationes, è quibus in bona consequentia contradictoriè pugnantes, vel contraria prædicata de eodem subjecto affirmantes colliguntur conclusiones. Cùm enim duæ contradictoriae nunquam possint simul esse veræ, sed alteram semper falsam existere necessum sit, fit, ut eandem conclusionem quis & sciat simul & nesciat, prout modo eam enunciationem statuit esse veram, ex qua illa elici potest; modò illi assensum præbet, è qua sequitur ejusdem contradictoria. v.g. si quis veras esse opinatus fuerit has duas: Quæcunque disciplina de subjecto suo per εἰκεία principia proprias demonstrat affectiones, hæc est scientia propriè dicta. Item: N. disciplina practica est scientia propriè dicta: is simul & scit & ignorat hanc con-

clusionem, quod Politica sit scientia propriè dicta. Scit eandem, quatenus sub prioris subjecto in minori subsumit Politicam, deque eadem illius prædicatum in conclusione affirmat. Ignorat, quatenus posterioris prædicatum de eadem affirmat, quia disciplina hæc sub eisdem subjecto continetur. Rursus sint duo prædicata, unum ex genere bonorum, recta civibus persuadere; alterum ex genere malorum, turbas in societate civili excitare: quorum utrumque qui tribuit Rhetoricæ, occulto contradictionis laqueo seipsum implicare videtur. Verùm, quoniam hæc apparens contradictio, quæve eam sequi posset ignorantia, facilè discuti potest, si unum prædicatum per se, alterum per accidens subjecto competere ostendatur, de hac non amplius erimus solliciti: sed ad priorem illam, cum quis eas opinatur veras esse enunciationes, è quibus duæ contradictoriæ conclusiones sequuntur, illicò revertemur.

IV. Cum verò sint plures modi, quibus mentem nostram in ejusmodi ignorantiam detrudi contingit, tres eos potissimùm commemorat Aristoteles II. Prior. XXI. quorum primus est, quando quis majorem in Syllogismo habet cognitam, minorem verò ignorat: quem quidem ille dicit rem scire *ὡς τῆ καθόλου ἀπιστήμη* *universali scientia*, ignorare verò *τῆ καὶ μέρους* *particulari*, *τῆ καθ' ἑκαστον* *singulari*, *τῆ οὐκ ἐκείνη* *propriâ scientiâ*. E.g. si quis noverit quidem omnes carnes leviores ad digerendum esse faciles: ignoret tamen carnes avium esse leviores: is in universali quidem novit, & has facilè concoqui, et si in particulari illud ignoret. Atque tali ignorantia ferè laborare solent, qui citra rerum experiētiam sola scientiarum præcepta edocti sunt: quos proinde ob hanc singularium imperitiam varijs modis impingere necesse est, ubi ad ipsius artis usum se confe-

conferunt. Cujus exemplum nobis præbent juvenes, quorum etsi nonnulli præcepta scientiæ Politicæ ad unguem calleant, ubi tamen ad rerum gubernacula primum admoventur, non exigua aliquando inscij admittunt *παρεδ-ματῶ*. Quæ ipsa est causa, quare Philosophus VI. Eth. ix. illis quidem Geometriæ & Matheleos scientiam concesserit, prudentiam verò denegârit. Etenim *ἂν δὲ ὅτι ἢ φέρ-νησις τῶν καθόλου μόνον, ἀλλὰ δὲ καὶ τὰ καθέκαστα γνωρίζειν non-terum universalium modò prudentia est, sed debent etiam ei no-va esse res singulares.* Ibid. cap. VII.

V. Secundus modus ignorantia per pravam opi-
nionem contracta est, quando aliquis singulare quidem
sive unum sive plura habet cognita, universale autem
ignorat. v.g. si quis noverit Cajo febricitanti cibum in
ipso paroxysmo præbitum fuisse noxium, ignoret tamen
nemini febricitanti in paroxysmo cibum convenire. At-
que hæc ignorantia ferè illi laborare solent, qui universa-
li rerum notitiâ neglectâ, solis singularibus in sensus in-
currentibus inhærent. Horum verò quàm imperfecta sit
cognitio, satis Philosophus indicat, quando eam VI. Eth.
III. *αἰσθητικῶ* sensitivam, nec non *αἰσθητικῶ* δόξαν opinio-
nem ejus, quod sub sensum cadit, appellavit. Arque huic igno-
rantia, quod hoc loco addere neutiquam piget, valde af-
finis est illa, quâ fieri potest, ut qui non omnes, sed ali-
quas tantùm causas, propter quas affectio inest subjecto,
habet cognititas, eandem affectionem eidem subjecto ines-
se & non inesse existimare queat; quod quomodo contin-
gat, quia exemplo forsan declarari luculentius potest, il-
lud subjiciem⁹. Docent rerum naturalium scrutatores, ne-
bulam fieri non modò ex vaporibus crassioribus, qui è lo-
cis humidis educi, cum ob gravitatem in supremam re-
gionem aëris attolli nequeant, in inferiori hærent: ve-
rùm

rūm etiam ex aridioris nubis partibus, quæ cū in aquam
dissolvi nequeant, naturali gravitate ad inferiorem aëris
regionem sponte delabuntur. Ubi si aliquis priorem
causam nebularum quidem norit, posteriorem autem ne-
sciat, fit, ut oppositæ ex ejus opinione sequantur conclu-
siones, atque ita occultæ quispiam implicetur contradi-
ctioni. Omnino enim ex prævia hac, vel saltem imper-
fecta ejus notitia nascuntur hi duo syllogismi: Quando-
cunque magnâ copiâ crassiores, atque ad sublimia aëris
loca petenda minùs idonei educuntur vapores, toties aër
obducitur nebulis, Atqui jam tales vapores magna copia
colliguntur, Ergò jam aër obducitur nebulis. Et contra:
Ubi aridiores, & in aquam non mutabiles nubis partes
insita sibi gravitate inferiora petunt, toties aër non ob-
ducitur nebulâ. Atqui jam tales nubis partes ad inferio-
ra descendunt. E. jam aër non obducitur nebulâ: quæ
conclusio priori contradicit. Apparet ergò illos, qui om-
nes causas, quare majus extremum insit minori, non ha-
beat cognitæ, verâ & perfectâ rei scientiâ nondum esse
præditos, cū hæc omnem errorem & ignorantiam pe-
nitus excludat: quamvis tamen propius accedat ad scien-
tiam, qui partem aliquam rei cognoscendæ habet per-
spectam, quàm qui omnino nihil de ea cognovit, vel sal-
tem cognovit καὶ συβεβηκός, quod indoctorum & sophi-
starum, non Philosophorum seu sapientum est proprium,
qui omnes rerum causas per se πρὸ μὲν ὄθεν habent explo-
ratas.

VI. Sæpius hanc ignorantiam in priscis antè suam
ætatem Philosophis reprehendit Aristoteles, osten-
dens, ipsis fraudi fuisse, quòd penitus & ex omni par-
te se nosse arbitrarentur, quod ex parte solummodo no-
verant, cujusve ob experientiæ defectum non omnes cau-
sas ha-

sas habebant perspectas. Fecit illud in divina Philoso-
 phia libro IV. cap. v. quando de Anaxagora ejusque
 sociis ita cenlet: *τρέπον μὲν πᾶσι ὁρθῶς λέγουσι, τρέπον δὲ
 πᾶσι ἀγνοῶσι παρὶν κερδὲ δικύνει, παρὶν κερδὲ ἰγνорάνει.*
 Sed nusquam frequentior hujus ignorantia fit mentio,
 quam in libris, quos de rerum naturalium scientia ille
 conscripsit. Ita I. Phys. cap. ix. *Ἡμεῖροι μὲν ἔν κερδὲ ἔτε-
 ροί πνὲς εἰσιν αὐτῆς, ἀλλ' ἔχ ἰκανῶς.* *Attingerunt quidem igitur
 eam (materiam) & nonnulli alij: sed non satis.* I. de Ortu &
 interit. cap. vii. *αἰπὸν δὲ τῆς ἐκταπολογίας, ὅτι δέον ὅλον π θεω-
 ρῆσαι, μέρϑ π τυγχάνουσι λέγοντες ἀμφώτεροι.* *Contradictionis
 verò causa hac est, quòd cùm totum quippiam contemplari oportet,
 de parte quadam loquantur utriusque.* V. de Gen. Animal.
 c. vii. *λέγοντες μέχρι πνὸς καλῶς, ὅλως δὲ ἔ καλῶς.* *Quòd
 rectè aliquatenus dicunt, sed non rectè in totum.* Idem vitium
 tum in Philippo Medico lib. de Marasmo cap. i ix. Tom. 3.
 p. 176. tum in Erasistrato lib. de plenitudine cap. ix. Tom.
 eodem p. 215. notat Galenus Medicus, & Philosophus
 profuse eximius. Quàm periculosus in rebus civilibus, gra-
 vissimique momenti negotijs hinc fit lapsus, suo exemplo
 Demosthenes, Orator quàm miles fortior, comprobavit.
 Qui cùm sese infelici eventu communis Græciæ hostibus
 opposuisset, in oratione *περὶ σιφάνης* tueri se conatur exem-
 plo Themistoclis, qui & ipse quanta fortitudine Persas
 aggressus erat, tanta cum gloria eosdem devicerat. Quod
 si ille ex animo dixit, latere profectò bonum Demosthe-
 nem pleræque causæ, quibus Themistocli proclivior quàm
 ipsi ad victoriam erat via: quas cùm accuratiùs ad ani-
 mum revocasset collega ejus Demades, Demosthenes
 consilij sua jungere noluit, prudenter dicens: *Themisto-
 cles integram habuit navim: Ego verò & collega mei πολιτεύο-*
B
μὲν τὰ

ἄρ' τὰ ναύαγια τῆς πόλεως, fracta & collisa navis solum tabulas colligimus.

VII. Tertius ignorantiae ex prava opinione existentis modus est, quando quis utramque praemissarum quidem novit, earum autem cognitionem actu non conjungit, atque adeo non elicit ex illis eam, quae inde sequi poterat, conclusionem. Atque hujus ignorantiae illustre cum primis exemplum incontinentes nobis praebent, qui etsi sciant, omne turpe esse fugiendum; neque ignorent, comestationes esse turpes: tantum tamen abest, ut inde colligant eam, quam debebant, conclusionem, ut potius *καταπραΐνῃ*, ut Apostolus II. Timoth. II. 22. sive *καταπραΐνῃ ἐπιθυμίᾳ*, ut Philosophus VII. Eth. IV. vocat, hoc est, *vehementi affectuum impetu* abrepti, majori illa seposita hanc substituunt: Omne jucundum est sectandum: quae de re plura eleganter disputavit Aristoteles priori parte ejus libri, quem modò diximus. Potest tamen simile quid in veri investigatione quoque contingere, ut scilicet, qui majorem minoremque habeat cognitam, ob *ἀνεπισκεψίαν* non in mentem revocet, & contradictorium ejus apud se statuat, cujus veritatem ante demonstraverat. v.g. si quis non ignoret, omnem virtutem esse habitum proaereticum, hunc autem omnem sine ratiocinatione consistere non posse: & tamen alicubi talem assertionem sibi excidere patiatur, quae brutis quoque virtutes morales tribuat. Quid quod & pleraque artificum errata non aliunde proveniant, quam quia non *συνθεωροῦσιν* eas propositiones, quas ἔξω aliàs & *habitu* norunt? Ita enim Aristoteles hoc negotium declarare solet, quod τῇ ἔξω *habitu* quidem aliquid sciri possit, quod τῇ ἐνεργείᾳ *operatione* seu *actu* ignoremus.

IX. Atque

IIX. Atque hi ignorantia modi scientiam, uti dixi-
 mus, quandam relinquunt, quam prorsus excludit ea,
 de qua jam considerationem suscipiemus. Quoniam
 verò & hujus natura, ut plerumque in malis fit, tanquam
 συγκεχυμένον quiddam multiplex est atque difformis, in
 partes sive species distrahenda illa nobis erit, ut ejus in-
 sidias in vero investigando feliciùs evitare queamus. Et
 hoc quidem promtiùs facere poterimus, postquam no-
 ster τῆς ἀληθείας φιλόσοφος genera ejusdem jam tum soler-
 ter investigavit I. Post. xvi. quæ quidem initio duo con-
 stituit: Alterum vocans ignorantiam κατ' ἀπόφασιν, *præ*
negationis, alterum ignorantiam κατ' ἀνάγκην, *præ*
aversis. Illa dicitur, quâ quis penitus ita rem ignorat, ut nul-
 lam prorsus ejus habeat cognitionem: quâ ratione qua-
 dratus aliquis de stiva Corydon interrogatus de natura
 temporis vel vacui, nil quicquam horum se nosse ingenuè
 fatebitur. Eâdem ignorantia apud Homerum laborabat
 Telemachus, quando à Minerva interrogatus, an Patre
 Ulysse prognatus esset, respondit: οὐκ οἶδ' ἔγάρ πω τις ἐὼν γόνι-
 νοι αὐτὸς ἀνέγνω; *Nescio, namq. suum vix novit quisque Pa-*
rentem. I. Odyss. vers. 216. Neque alia ignorantia fuisse
 videtur, quam produnt discipuli quidam Ephesini Act. 19.
 xix. 2. qui interrogati à Paulo, *postquam crediderint, ac-*
ceperint Spiritum S. (peculiaris dona, quæ in Apostolis &
 credentibus tempore nascentis Ecclesiæ operabatur Spiri-
 tus S.) respondent: *Imò, si ne Sp. S. ne audivimus quidem.*

IX. Hâc autem ignorantia circa proprium sensus
 alicujus objectum præcipuè necesse est eos premi, qui à
 primo inde ortu sensu isthoc orbatu fuere: Sive ut exem-
 plis cum Philopono ad I. Post. c. xii x. p. 109. rem propona-
 mus: εἰ μὴ ἔχομεν τὴν ἀκρωτικήν αἰσθησίν, ἐκλελοίποι ἂν ἡμᾶς

πάντως ἡ ἀρμονικὴ ἐπιστήμη, ἢν νῦν τυγχάνουσι ἔχοντες. ὁμοίως
 εἰ μὴ εἴη ἡ ἀπικὴ αἰσθησις, ἐκλελοίποι ἀντὶς ἰατρὸς ἢ σφυγμικὴ
 ἐπιστήμη. γούσεως δὲ μὴ ἔσης, ἐκλελοίποι ἀντὶς πάλιν ἡ τῆς ποιότητος
 τῶν χυμῶν Διακριτικὴ ἐπιστήμη, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὡσαύτως. *Si
 non habeamus sensum audiens, deficiet nobis prorsus harmonica
 scientia, quam nunc habemus. Similiter si non sit sensus tactus,
 deferet Medicos scientia pulsus. Gustu autem non existente, de-
 ficiet qualitatium humorum discretiva scientia, atque in alijs eo-
 dem modo. Rationem ejus hoc ipso loco, cui ista Grammaticus
 adscripsit, pulchro Sorite complexus est Aristoteles,
 quem idcirco & hic subjungere placet: Φαιεργόν, εἰ τις αἰσθησις
 ἐκλελοίπεν ἀνάγκη καὶ ἐπιστήμῳ πᾶσι ἐκλελοίπειναι, ἢν ἀδύνατον λα-
 βεῖν· εἴ ποτε μαθητῶν ἢ ἐπαγωγῆ ἢ ἀποδείξει: ἔστι δ' ἡ αὐτὴ ἀπόδειξις ἐκ
 τῶν καθόλου ἢ δ' ἐπαγωγῆ, ἐκ τῶν κατὰ μέρος· ἀδύνατον δὲ τὰ κα-
 θόλου θεωρῆσαι, εἰ μὴ δι' ἐπαγωγῆς. — ἐπαχθῆναι δὲ μὴ ἔχον-
 τας αἰσθησιν ἀδύνατον· τὸν γὰρ καθέκαστον ἢ αἰσθησις· εἰ γὰρ ἐνδέχε-
 ται λαβεῖν αὐτῶν τὴν ἐπιστήμην. ἔτε γὰρ τῶν καθόλου, ἀντὶς ἐπαγω-
 γῆς· ἔτε δὲ τῆς ἐπαγωγῆς, ἀντὶς τῆς αἰσθήσεως. *Perspicuum
 est, si quis sensus desit, necesse esse, ut aliqua scientia desit, quam
 impossibile est percipere. Siquidem aut scimus inductione aut de-
 monstratione. Est autem demonstratio ex universalibus, inductio
 ex particularibus: impossibile verò est universalia contempla-
 ri, nisi per inductionem: — ut autem inducant, qui sensu
 carent, fieri nequit: quia singularium est sensus; non enim po-
 test accipi ipsorum scientia: quia nec ex universalibus potest ac-
 cipi sine inductione: nec per inductionem sine sensu. Non igno-
 rabat hoc Cicero, qui propterea gentilium de Tyrelia fa-
 bulas 2. de Divin. ita ridet: *At nescio, quid divinus ille, si ocu-
 lis captus sit, ut Tyresias fuit, possit, quae alba sint, quae nigra, di-
 cere: aut si surdus sit, varietates vocum aut modos noscere. Ne-
 que est, quod quis dicat, posse ejusmodi homines ex alijs
 perci-***

percipere, quæ ipsis ad scientiam de objecto ad sensum illum pertinente, quò ab ipso inde nascendi exordio destituti fuere, comparandam sufficiant. Omnino enim tota illorum cognitio fide nititur humanâ: ut non dicamus, ipsos ne prima quidem principia, quibus docentem hîc uti necessum est, intelligere, cum res ipsas vocabulis, quibus ille utitur, significatas nunquam sensu usurpârint. Unde haut immeritò Aristoteles II. Phys. cap. 1. asserit, ὅτι τὰν ἀγνή τοῖς ποιήτοις πρὸς τὰ ὀνομάτων εἶναι τὸν λόγον, μηδὲν δὲ νοεῖν necesse esse, his de nominibus solis esse sermonem, nil autem rei ipsius animò concipere. Quem Philosophi locum sapienter ac disertè doctissimus quondam Tübingensis Academiae Philosophus Jacobus Schegkîus Comment. ad II. Phys. p. 87. exponit, cujus verba jam adscribere nobis non lubet, qui ad alia properamus; si illud saltem adjece- rimus, hanc ignorantiam fieri ἀνευ ἀπάτης absque deceptione, atque hoc ipso à cæteris ignorantiae modis impri- mis differre, qui cum deceptione eò ipsò sunt conjuncti, dum pro vero amplectuntur falsum.

X. Ignorantia καὶ ἀπίστων pravæ affectionis vocatur, quâ quis opinatur veram esse propositionem aliquam, quæ falsa est & veræ opposita, qualis v.g. fuit in Pyrrho- nijs, quando putabant, nullam omnino rem scientiâ com- prehendi posse; nec non in Stoicis, quando censebant, sapienti licere, ut se aliquando morte voluntariâ ex hac vita subducat. Nomen autem traxisse illa videtur inde, quòd qui eâdem sunt infecti, non modò rem simpliciter ignorent, verùm etiam malè ad veram de rebus cognitio- nem parandam sint affecti. Dicitur imperitia hac affectio- nis, inquit Themistius paraphr. h. l. p. 41. uti quidem la- tinè eum fecit loquentem Hermolaus Barbarus, quia, cum



contingit, animus persuasione quadam affectus & formatus videtur. Putat enim se id scire, quod nescit. Sive ut Philoponus h. l. habet p. 107. ὅτι ἀφικεῖται πῶς κατ' αὐτὴν ὁ ἀγνοῶν καὶ οἶεται εἰδέναι ἢ πατημένως. Atque hoc videtur Julio Pacio Aristoteles capitis laudati §. 1. significare voluisse, quando ignorantiam hanc labem ἀπὸ λογισμῶν contrahi dixit, quam vocem ille, aliquam mentis operationem interpretatur: etsi plerique *Syllogismum* hinc intelligant, ac de aliqua saltem ignorantiam specie Aristotelicam illam descriptionem capiendam esse censeant.

XI. Id autem facile è Themistii verbis apparet, ignorantiam hanc priori longè esse deteriore. Cùm enim, qui prioris illius tenebris obductum habent intellectum, morbum animi sui ingenuè agnoscant: posteriores hi non modò ignorant, quod ignorent, verùm etiam sibi abblandientes putant se scire, quod ignorant. Atque hinc factum, ut illa quibusdam quoque ἀπλή simplex, hæc διπλή duplex diceretur: cujus utriusque appellationis meminit, ejusque rationem reddit paulò ante laudatus nobis Philoponus ibid. ἀπλή δὲ (λέγεται) ὅτι ἀγνοῶν αὐτὸ τῷ αὐτῷ οἶδεν, ὅτι ἀγνοῶν, διπλή καλεῖται ἢ τοιαύτη ἀγνοῖα, ἐδὲ γὰρ οἶδεν ὅ, τι οἶδε οἶδεν, ἀλλὰ μὴ εἰδῶς, καὶ αὐτὸ τῷ αὐτῷ ἀγνοῶν ὅ, τι ἀγνοῶν. Atque hinc fit, ut, qui in posteriori hoc ignorantiam voluntate hærent, difficiliùs ad scientiam & veritatem emergere valeant: imprimis cùm in eluendis, quæ semel in sedere in vitiis, geminatum onus bonos doctores malis succedentes premat: & quidem dedocendi graviùs ac priùs quàm docendi, ut eleganter scribit Quintilianus lib. II. Orator. Inst. cap. 3. qui propterea Timotheum insignem tibicinem duplicem ab ijs, qui hanc artem ab alijs edocti erant, mercedem postulasse ibidem refert, cùm ab ijs, qui prorsus rudes tradebantur, exigeret simplicem. XII.

XII. Sicuti autem ad hoc, ut aliquis scire dici mereatur, duo requiruntur, alterum, ut genuina principia, è quibus contextuntur demonstrationes, certissimè habeat explorata, alterum, ut ex his legitimo ratiocinationis progressu conclusionem deducat: ita vanam hanc scientiæ opinionem geminò incauti homines adsciscunt modò. Vel enim eos ignorantia hanc ἐν τοῖς πρώτοις ὑπάρχειν, ἢ μὴ ὑπάρχειν, hoc est, *in principijs iam affirmantibus, quàm negantibus*, vel in ijs, quæ ex his deducuntur *conclusionibus*, decipi contingit. Circa principia quidem ignorantia laborat, qui vel λόγον ἐνοσηματικόν, *nominalem definitionem* pro reali, vel talem enunciationem amplexus fuerit, quæ vero cuidam principio opponitur. v.g. si quis putaverit, Peripheriam non æquali intervallo à centro distare, vel lineas parallelas esse eas, quæ si productæ fuerint, tandem concurrunt, aut cum Thoma Hobbesio Anglo lib. de cive, Politicam doctrinam horribili huic principio superstruxerit: *Naturâ inter homines non societatem, sed discordiam institutam esse*. Eadem ignorantia rectam conclusionis notitiam eripit, si quis talem propositionem veram esse opinatus fuerit, quæ veræ cuidam conclusioni opponitur, qualis est v.g. in Alhusio alijsque ejusdem farinae scriptoribus Politicis, qui summam cujusvis Reip. penes solum populum esse arbitrantur.

XIII. Neque tamen omnes hætenus ignorantie latebras perspeximus: sive enim circa principia, sive circa conclusiones enata fuerit, rursus bipartita illa existit. Atque hoc discrimen inde quidem oritur, quòd aliquis vel sine Syllogismo enunciationi alicui assensum præbeat, sive, ut Aristoteles dicit: ὅταν ἀπλῶς ὑπολάβῃ ὑπάρχειν, ἢ μὴ ὑπάρχειν, *quòd simpliciter quis existimet, quipiam alicui inesse*
se vel

se vel non inesse: vel quòd falsa ratiocinatione persuasus in ignorantiam vel errorem pertrahatur. Atque illud quidem admodum familiare est vulgo, quod sive stupore sive animi quadam levitate ductum facilè quasvis in animum nulla ratione nixas demittit opiniones: quæ tamen & rursus pari facilitate levi quadam ratione, quæ oppositum persuadeat, aboleri possunt. Omnino enim est hoc omnibus hominibus naturâ insitum, ut ei potiùs contradictionis parti assentiantur, pro qua ratio aliqua militat, quàm illi, cui ne minimâ quidem rationis umbrâ adductâ priùs crediderat. Quoniam tamen & eos, quos doctrina vulgari sorte exemit, haut rarò hîc cespitare videmus, à præsentis instituto non alienum fuerit, præcipuos modos indicare, quibus iisdem hic error imponit. Præcipuos quidem illos significavit Andreas Planerus, Medicus & Philosophus insignis, quando in scientia demonstrandi p. 206. hâc ignorantia homines imbuere scribit, *vel autoritate, vel falsâ experientia, vel exemplo, vel consuetudine*, sed cum plures iisdem addi possint, nos præcipuos subjiciemus, & quomodo ab iisdem nobis cavere debeamus, explicabimus.

XIV. *Primum* modum, quò hac inscitia labe animum contaminari contingit, constituimus cum Philopono l. c. ὡς εἰς ἀντιπρὸς τὴν αἰσθησὶν ὁρθοῦσι, ἢ παρρησίᾳ, si quis nempe neglectis conditionibus, quæ ad veram sensuum cognitionem requiruntur, ijs temerè fidem adhibeat, quæ hisce apparent. *Qualis enim in sensu error, hallucinatio & obauditio est, talis in mente opinatio & apprehensio falsa consurgit*, quod h. l. addit Themistius. Atque in talem errorem prolabitur imperita plebis multitudo, solem pedis habere magnitudinem, eundem occidentem rubere, vel
aquis

aquas è terra sursum attrahere, terram autem latissima planitie, cujus terminus sit linea circularis, excurrere existimans, cum sensibus hæc ita videantur. Neque poterit non in similes ignorantiaë tenebras demergi Epicurus, postquam normam omnis judicij non rationem, sed sensum constituisset: è cujus proinde mente ita canit Lucretius lib. v.

Nec nimio solis major rota, nec minor ardor

Esse potest, nostris quàm sensibus esse videtur;

etsi tamen & ratione quâdam, quam ibidem statim subjicit Poëta, suum errorem stabilire fuerit conatus. vid. Lambin. ad h. l. p. 639. Potest autem hæc ignorantia tolli, si sensus corrigatur per rationis judicium: quod tamen rursus in ijs fundamentum habeat, quæ evidenter atque omnibus requisitis præsentibus sensu fuere deprehensa, v. g. cum toties sensu deprehendamus ea, quæ longius à nobis distant, videri minora, stellas autem maximò intervallò ab oculis nostris remotas esse nemo ignoret, prudēs rerum arbiter facilè eorundem, solis tantillam molem deprehendentium, deceptionem animadvertet, ipsumque errorem, in quem illum facilis credulitas præcipitârat, excutiet.

XV. *Secundò* in eandem ignorantiam ruere necessum est, qui ἐκ τῆς ἀδόσεως δοξάζοι λόγῳ μηδενὶ χεώμενον εἰς ἀπόδειξιν, ut hîc loquitur sæpius nobis laudatus Interpres, cui singularis industria Philoponi nomen peperit. Quando scilicet quispiam assertioni cuidam falsæ assentitur, non ratione quâdam, sed solâ autoritate sive præceptorum, sive virorum sapientum, vel aliorum, quos ipse bene de re judicare autumat, inductus. Tali ignorantia tempore, quò Christus in terris versabatur, capta tenebatur

C

turba

turba Judæorum, Scribarum ac Pharifæorum auctoritatem
secuta; unde monet eam Servator Matth. xv. 16. *Omitti-*
te illos: duces sunt cæci cæcorum: quod si cæcus cæcum per-
viam duxerit, ambo in foveam cadent. Eandem quoque igno-
rantiam paganæ superstitionis fautoribus objicit Lactan-
tius lib. ii. Divin. Inst. c. 7. p. 90. *Ha sunt religiones, quas si-*
bi à majoribus suis traditas pertinacissimè tueri atq; defende-
re perseverant, nec considerant, quales sint. Sed ex hoc probatas
atq; veras esse confidunt, quod eas veteres tradiderunt: tantâ que
est auctoritas verustatis, ut inquirere in eam scelus esse ducatur.
Itaque creditur ei passim, tanquam cognita veritati. De quo
hominum genere haut immeritò conqueritur Horatius:

Illi turpe putant parere minoribus, & quæ

Imberbes didicere, senes pudenda fateri.

Neutiquam ergò eorum institutum probandum est, qui
ita sese unius sive magistri, sive sectæ arbitrio mancipant,
ut citiùs animam à corpore avellere, quàm hos à pravis
scholæ illius, cui adhærescunt, decretis dimovere valeas:
Sive ut Galenus passim de ijs loquitur, quos citiùs adducas, ne
civitatem suam, quàm sectæ suæ placitum aliquod prodant.
Gravis extat horum hominum reprehensio apud eundem
lib. de Ordine suorum librorum c. i. quam hîc subjicere
lubet, imprimis cum & hodie quorundam moribus non
sit inconveniens: *Admirantur nunc alij alios, & Medicorum &*
Philosophorum: licet illi nec suam professionem, ullamve demon-
strandi scientiam satis teneant, aut falsa à veris discernere ser-
monibus norint: admirantur tamen, vel quod Patres ipsis fue-
runt Empirici, aut Dogmatici, aut Methodici: vel quod Præ-
ceptores, vel quod amicos habeant: vel denique quod majoris
eos in urbe gloria & existimationis sectæ suæ nomine esse videant.
Sic quoque in Philosophiâ alius aliam ob causam sibi aliquam se-
ctam

Etiam eligi, Platonici aut Peripateticis, aut Stoicis, aut Epicureis se adjungens. Ab hac verò labe qui immunem servare cupit animum, rectissimè faciet, si sapientissimi Socratis consilium probè in animum demiserit, quod apud discipulum Platonem in Charmide dat Critiæ p.164. Neque enim id considerandum est quis dixerit; sed utrum verè dicatur nec ne. Πάντως ἔ τῆτο σκέπτου ὅτις αὐτὸ εἶπεν ἀλλὰ πότῃ ἂν ἀληθῆ λέγεται ἢ ἄ. Quod verbis quidem diversis, sensu tamen eodē, in Philebo quoq; exstat p.61. τὸν μὲν δὴ σὲ καὶ ἐμὲ, καὶ Γόργιαν, καὶ Φίληβον καὶ συχνὰ χάρειν ἔαν, τὸ δὲ διαμαρτύρεσθαι τῷ λόγῳ. Te igitur & me, & Gorgiam, & Philebum valere sinamus, hoc autem ratione nunc asseramus. Ratio ergò sit, cui Philosophus firmum assensum præbeat, non autoritas: postquam certum est neminem mortalium extitisse, Omnia veridico qui quondam ex ore profudit.

XVI. Quantum à regio veritatis tramite hominum mentes in errorum diverticula abstrahit autoritas tantum *tertiò* apud plurimos in iis, quæ proximè ad vitia bene beatèq; degendam pertinent, prava valent exempla, quæ & ipsa inter fontes, è quibus hæc ignorantia promanant, *χαρῆς* Planerus referebat. Neque enim ignotum est, plurimos mortalium non aliâ de causâ ad vitia abripi, quàm quòd in improbos aliorum mores tanquam in speculum intueri, & ad eosdem suos quoque rectè conformari censeant. Neque alia ætas huic errori magis obnoxia est, quàm illa, quæ cum solida beatæ vitæ fundamenta ponere debeat, cerea tamen in vitium flexi ab aliis, nec illis semper optimis, vivendi exempla capit, eaque sibi imitanda existimat. In eundem lapidem & vulgus mortalium impingere solet, quando Principum suorum mores propriarum actionum normam constituit, quod nec

Antigonum Gonatam latuit, cum Epistolæ ad Zenonem, quam Diogenes Laërtius lib. vii. de vitis Philosophorum pag. 378 exhibet, pulcherrimam epilogum adjiceret: *Οἱ δὲ αὖ ὁ ἡγεμὼν ἢ ποιῆται εἰκὸς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίνεσθαι καὶ τὰς ὑποταχθέντας. Nam cujusmodi fuerit Dux, tales ut plurimum subditos fieri necesse est.*

XVII. Quarto Exemplo idem subjungebat consuetudinem, quæ si prava fuerit, in multas magnasque errorum tenebras, tum in iis, quæ ad agendum, tum in his, quæ ad contemplandum valent, mortalium animos demergere potest. Uti enim recta assuefactio præstat, ut quis promptè principiis practicis veris assentiatur: sic depravata illa non modò hæc ipsa extinguit, prudentiæque oculum eruit, verùm eorundem quoque opposita animo inserit: quibus si corrupta mens fuerit, non potest illa amplius vel de vero vitæ fine, vel de mediis ad hunc ipsum ducentibus, rectè judicare. *Δυστρέφει γὰρ ἡ μοχθηρία ἢ ἀψεύδεσθαι ποιεῖ καὶ τὰς πρακτικὰς ἀρχὰς. Pervertit enim & depravat judicium rationis vitiositas, efficitque, ut de principiis actionum falsum judicemus, ceu pridem observavit Aristoteles vi. Eth. xi. Qui ejusdem libri cap. v. causam sive obscuratæ sive depravatæ rationis hanc reddit, quòd minimè quis ita institutus sit, ut gaudeat, in quibus gaudere oportet, ἢ sive doleat, in quibus doluisse convenit, quâ in re alibi ὀρθὴν παιδείαν rectam educationem collocârat. Sed ipsa ejus verba subjungemus: τὸ δὲ ἀφθαρτὸν δὲ ἡδονῆν ἢ λύπην εὐθὺς εὖ φαίνεται ἢ ἀρχὴ, εἰ δὲ δὲν τὰτα ἐνεκα. εἰ δὲ ἀπὸ τῶν αἰρεῶν πάντα καὶ πρᾶξεν, εἴ τι κακία φθαρτικὴ ἀρχὴς. Qui autem voluptate aut dolore correptus est, ei statim principij videndi facultas eripitur: neque is animò cernere potest, se hujus rei causâ & propter hanc causam omnia optare atque agere oportere. Vitium enim principij delendi atque perimendi vim habet.*

XVIII.

XVIII. Neque levius accuratae veritatis contem-
plationi obstaculum consuetudo parit, si eadem quis in-
ductus existimaret illam docendi discendi que rationem
in omnibus disciplinis observandam esse, cui quis à tene-
ris inde assuevit. Etenim, cum ea, cui innutriti sumus, no-
bis maximè sint jucunda, fit, ut non pauci mortalium
non alia ratione doceri cupiant, quam cui haecenus insti-
tere. Accedit, quòd ea, ad quæ ingenia haecenus adje-
cimus, notiora sint nobis: ex quibus cum quilibet reli-
qua addiscere cupiat, fit, ut, quæ ab illis abeunt, à ve-
ritate ipsa recedere videantur. Bene hoc noverat Aristo-
teles, atque adeo cum animos auditorum ad primam Phi-
losofiam præpararet, integro capite lectorem ea de re
monendum esse censuit, quod lib. II di est ultimum; è quo
prima tantum verba huc transferemus: Αἱ δ' ἀκροάσεις καὶ
τὰ ἔτη συμβάινουσιν: ὡς γὰρ εἰώθημεν ἕως ἀξιοῦμεν λέγεσθαι, καὶ τὰ
ἑσθὰ πάντα ἔχ' ὁμοίαν φαίνεσθαι, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀσυνήθειαν ἀγνωστο-
τέρα καὶ ξενικώτερα. τὸ γὰρ συνηθὲς γνωριμώτερον. *discendi autem
rationes consuetudinibus respondent. Ut enim soliti sumus, ita
rem exponendam esse censemus: Et quæ præter hæc dicuntur, hæc
similia videntur nobis, sed propter insolentiam ignotiora, ma-
gisque peregrina. Quod enim consuetum est, id notius est. Ne-
que ex alio fonte, quam ex usitata docendi consuetudine
tot errores proficisci videntur, qui circa Supremi Numi-
nis cognitionem mortalium animis irrepere solent. Cum
enim à prima usque ætate mens nostra sensibus tanquam
internunciis earum rerum, quæ extra nos sunt positæ,
utatur, contingit, ut eadem non semper ita à rebus sen-
su perceptis abstrahi possit, quin his ipsis præeuntibus
aliquam imperfectionem Dei cognitioni, quam aliàs sin-
ceram esse oportebat, affricet. Eleganti simili id ipsum*

declaravit Maximus Tyrius, scriptor ex Academia diser-
 tus, & suavem sui Principis facundiam feliciter æmulatus,
 Dissert. 1. p. 8. ὁ δὲ τῆ πάση ψυχῇ ἐμπροσθεν αὐτοῦ Διὰ πάλαι
 ὑπὸ τῶν αἰσθήσεων, καὶ ταρασσεται, καὶ ἀχολία ἄγει, ὥστε μὴ δια-
 ρᾶν τῆ αὐτῆ θεάματα. ἤδη δὲ καὶ δημαγωγηθεὶς ἀναπέφεται, ὡς
 συμφέγγεσθαι τῆς τῶν αἰσθήσεων φωνῆς, καὶ μηδὲν ἠγεῖσθαι ἄλλο
 εἶναι ἢ τὰ ὄρατα καὶ ἀκροῦτα καὶ ὄσφραστα, καὶ γευστὰ καὶ ἀπῶ-
 ὡσπερ ἐν ἐν συμποσίῳ μεσῶ κίσεως ποταμῆς, καὶ οἶνον χροῦν, καὶ αὐ-
 λῶν ἦχος, καὶ σὺγγων, καὶ ψαλμάτων, καὶ θυμιαμάτων, ἀνδρῶς
 αἶψα κατεπερὶ συναγείρουσιν καὶ συσείλουσιν, καὶ τῆς αἰσθήσεως διὰ
 εὐρέσθαι πρὸς τὸ νηφάλιον καὶ κόσμιον. ἔτι δὲ ἀμέλει καὶ ἐν τῇ τῶν
 αἰσθήσεων πολυφωνίᾳ χαλεπὸν εὐρεῖν νήφουσαν, καὶ δυνάμειον προσ-
 βλέπειν τοῖς αὐτῆ θεάμασι. *Qui ipse (animus) cum toti anima infu-*
sus sit, facile à sensibus distrahitur, turbatur, impeditur, quò
minus suis vacare possit objectis. Adde quòd blanda quadam ac
populari vi eò adducitur, ut quacunque à sensibus dicantur, ap-
prober: nec aliquid esse arbitretur, quòd aut videri, aut audiri,
aut odorari, aut gustari, aut tangi non possit. Sicut ergò in con-
vivio nidoris plenissimo, & in quo vinum ubique funditur, ti-
bis fistulaeque cum alta voce concurrunt, magna odorum vis spar-
guntur; viri sit fortissimi, & qui in officio continere possit, &
contrahere animum, sensus ad sobrietatis temperantiaque revo-
care limitem: ita revera in hac contentione sensuum, difficilli-
imum est sobriam invenire mentem, & quae suis jugiter intenta
sit objectis.

XIX. Quintò sæpe occasionem ignorantiae, de qua
 jam loquimur, suppeditat vana experientia: quàm quidem
 dupliciter cum primis mortales labi atque hallucinari con-
 tingit. 1. Si non omnibus, vel saltem non totidem, quot
 ad justam experientiam requiruntur, singularibus probè
 inspectis de toto quodam genere sententiam præcipient.

v.g.

v.g. si quis in uno alterove cadavere humano cranii prorsus rotundam figuram, omni & anteriori & posteriori protuberantiâ destitutam, qualem Groenlandiæ incolis quidam adscribunt, deprehenderit, putetque omnis omnino cranii hanc esse figuram. 2. Contingit aliquando, ut rei cuidam sese per accidens jungat hic vel ille effectus: quem si quis eidem semper connexum esse putarit, atque inde firmum experimentum capere voluerit, in præsentem labetur ignorantiam. v.g. fit forsan, ut, quem podagræ dolores infestabant, is hoste imminente in maximum metum subito coniectus iis liberetur: ubi si quis colligere ausit, omnem podagricum morbo illò liberari metu, magnopere à vero aberrabit. Hic itaque illud memori mente est observandum, ne quod in uno vel altero singulari ita se habere deprehendimus, id in omnibus penitus eandem rationem servare credamus. Neque enim quælibet experientia, sed illa demum ad firmam inductionem, quâ principium scientiæ vel artis colligi debet, sufficit, quæ nullam prorsus admittat exceptionem. Atque hinc eleganter Galenus lib. de optima secta ad Thrasybulum c. 11. p. 85. definit experientiam, quòd sit ejus, quod sapius & eodem modo visum est observatio atque memoria. Quod ipsum jam pridem ante illum Philosophus ita declararat: πολλὰ μνηματὰ αὐτὰ πείγματα μίας ἐμπερίας δύνανται ποιεῖσθαι. *Multa memoria unius rei unius experientia vim perficit.*

XX. *Sextò Ignorantiæ ejusdem causa sæpe nulla alia est, quàm ἀφύια, ἢ ἐφύια ut habitus privationi opposita. Notum enim est, esse quosdam mortales prorsus vervecum in patria, crassoque sub aëre natos, ὡς εἶδ' ἀπὸ λιγυρῆς ἰδεῖν ποιήσεαι, quos ne linceus quidem, ut videant, efficere possit; Qualis fuit*

fuit Metelli Macedonici filius Caprarius, cuius stupidam indolem indignatus Scipio, matrem ejus, si quartò pareret, asinum parituram esse dicebat: Vel Herodis Attici, doctissimi viri, filius adeo degener, ut vix literarum nomina posset addiscere, etsi pater viginti servos aleret illi, quorum quilibet literæ alicujus Alphabeti nomine erat insignitus. Hos sanè & si qui iis existunt similes, in tenebris plus quàm Cimmeriis hære, omnesque inanem operam insumere necesse est, qui hos ex obscuro ignorantia specu in scientiæ lucem protrahere auit. Huc *sexto* tandem accedit *oblivio*, quæ eorum, quæ aliquando probè novimus, non modò ignorantiam puræ negationis, verùm etiam pravæ dispositionis animo inducere valet, dum fieri potest, ut quis ita se rem olim compertam habuisse existimet, cujus tamen contrarium tum temporis persuasum ipsi fuit. Familiaris hic defectus est senibus, atque inter eos morbos, quos isthæc ætas afferre solet, frequentissimus. Quamquam tamen & aliis de causis obtingere possit, quarum aliquas recenset Plinius lib. vii. Hist. Natural. cap. xxiv. p. 96. ubi imprimis notari meretur spissa Messalæ Corvini, Oratoris, ignorantia, quâ proprii quoque nominis non ampliùs meminerat.

XXI. Altera ignorantia species, quâ falsam de re quapiam in animum demittentes opinionem à veritate recedere solent minùs cauti mortales, est, quando quis *ἢ ἀπὸ συλλογισμῶν λαβὴν ἢ ἀπὸ λήψεως*, quando per syllogismum ad existimandum adductus fuerit, quod rursus vel circa principia, vel circa conclusiones fieri potest. Neque enim minùs errat, qui enunciationem quandam vero principio oppositam, quàm qui conclusionem falsam veræ oppositam falsâ quâdam & e mentitâ ratione stabilitam amplectitur. Ita

Ita uterque sanè à vero longissimè aberravit, & Zenò, quando ratiunculis quibusdam persuasus motum dari negavit, & Plato statuens, omnium rerum, uxorum quoque & liberorum in optima Republica admittendam esse communionem. Est autem ignorantia hæc Syllogismo comparata priori eo ipso multò deterior, quòd, cùm illa simpliciter falsum pro vero obtrudat, hæc minimùm gemino errore nos imbuat. Præterquam enim, quòd ejusmodi Syllogismus falsam inferat conclusionem, alteram quoque præmissarum habet falsam: qualem si earundem alteram quoque esse contingat, triplici errorum labe intellectus adspergitur. Quid, quòd hunc quoque deceptionum numerum augeri contingit, si variorum prosyllogismorum complexu idem pronunciatum fuerit astruatum. E quo apparet, haut immeritò posteriorem hanc ignorantiam *Compositam* dictam fuisse, cùm *mendacium mendaciò hęc regi* contingat, *ne perpluat.*

XXII. Unde manifestum jam est, quanta animi circumspèctione cavere sibi debeat, qui inscitiae atque errorum salebris devitatis, veritatis cognitione animum perficere satagit. Atq; est quidem hęc eò gravius errandi periculum, quòd plures existunt modi, quibus ejusmodi Syllogismo mens nostradolis circumventa in falsum abripi potest. Namque si tali ratione principium aliquod falsum nobis obtrusum fuerit, vara trahit vibiam, & accidit illud, quod dicit Aristoteles I. de Coelo, V. *εἴπερ καὶ τὸ μικρὸν ἀφθνήσκει τὴ ἀληθείας ἀφισχυρόις, γίνεται πόρρω μυριοπλάσιον.* *Pauvus exitus à veritate his, qui aberrarunt si longè progrediantur, sit decies mille major.* Sive autem falsa ejusmodi Syllogismi conclusio principio, sive conclusioni contradicat, error in conclusionem è falsa quadam præmissa promana.

D

navit.

navit. Quamvis enim ex veris præmissis in mala forma
falsa quoque sequi possit conclusio, *Φαινόμενον* tamen hunc
Syllogismum ad aliud quoddam vitiosæ ratiocinationis
genus pertinere deinceps ostendemus. Neque etiam,
quod paulò ante significabamus, in alterutra saltem, si-
ve majori, sive minori, sed modò in hac, modò in illa,
haut rarò quoque in utraque simul existit *ψεύδος*, prout
vel mediæ ad extrema *χέσις*, vel ipsius conclusionis quali-
tas & quantitas, vel ipsa demum Syllogismi hujus figura
sefe habuerit. Quas diversas errorum latebras si cognitæ
habuerimus atque perspectas, rectiùs à singulis nobis ca-
vere, minori que periculo iter ad veritatem, arduum sanè
& multis difficultatibus circumseptum, ingredi poterimus.

XXIII. Atque hæc de fructu Syllogismi *Apatetici*
præmittenda erant, antequam ad indolem ejus declaran-
dam accedere possemus: è quibus jam facilè patet, Syll-
ogismum hunc id nominis abstulisse, quòd mortales ad
scientiam adspirantes decipiat. I. Post. xvi. de Elench.
soph. xii. Atque eandem ob causam iidem quoque *συλ-
λογισμοὶ ψεύδους* Syllogismi falsi I. Poster. xvii. *συλλογισμοὶ τῆς
ἐναντίας ἀπάτης* Syllogismi contrariæ deceptionis, quibus nem-
pe pro vero falsum nobis obtruditur, vocantur, I. Post. ii,
quo ipso libro cap. xii. *συλλογισμοὶ κατὰ τὴν ἀγνοίαν* Syllogismi
secundùm ignorantiam, quia infelicem hanc gignunt sobo-
lem, dicuntur. Eodem loco Philosopho quoque *συλλο-
γισμοὶ ἐκ τῶν ἀντικειμένων* audiunt ex oppositis, iis scilicet ar-
gumentis collecti, quæ sunt opposita rationibus & principiis ve-
ris disciplinarum. ut interpretatur Schegkius Philosophus
ἐπὶ παντὶ lib. 5. de demonst. p. 146. Vocatur quoque *λόγος
ψεύδους* falsa ratio, I. Top. xii. ubi cum Aristoteles tria ge-
nera falsæ argumentationis attulisset, quartum in eo con-
stituit,

stituit, ἐὰν ἀπὸ ψευδῶν συμπεράνεται, si ex falsis concludat, vid. Schegk. Comm. in Topica Aristotelis h. l. p. 1220. & Piccarti Synopsis Organi p. 402. Vix autem frequentius apud Aristotelem deceptorius hic Syllogismus sortitur nomen, quam dum eum vocat ψευδογράφημα de Elench. xi. ψευδογραφῆντα ibid. item ψευδογραφῆμαρον viii. Top. x. unde eos, qui hōc Syllogismō utuntur, ψευδογραφῆτας appellat viii. Top. i. quod idem nomen iis quoque tribuit, qui eiusmodi Syllogismis se decipi permittunt v. Top. iv. Transtulit autem vocem illam cum pluribus aliis Aristoteles à Geometris, ut manifestum est, & non obscure ipsemet indicavit i. Top. i. Notum scilicet est, Geometricas demonstrationes fieri adhibita descriptione diagrammatum quorundam, quæ si vitiosè fuerint constructa, in ipsas quoque demonstrationes, & consequenter in theoremata, quibus demonstrandis adhibentur, falsum redundat. Ab hoc speciali & Geometris proprio vocis usu, eandem ad generalem significationem traduxit Philosophus, ut omnem iam Syllogismum ex falsis constructum principiis vocaret ψευδογράφημα. Pulchrè hæc docuit Græcus Topicorum librorum interpres, qui Alexander Aphrodisiensis esse putatur, quando in i. Top. i. ita scripsit p. 14.: ὅτι γὰρ καὶ γεωμετρίας ψευδογράφημα ὡς τὸ μήτε τὰ ἡμικυκλία περιγράφειν ὡς δεῖ, μήτε τὰς γραμμὰς ἀγαθὴν ὡς αὐτὰ ἀχθῆναι. τὸ μὲν δεικνύον τὰς δύο πλευρὰς τῆς τριγώνου τῆς λοιπῆς ἴσας. τὸ δὲ καὶ ἐλάττω τὰς δύο κείται δὲ δεδειχμένον ἐν γεωμετρίας, ὅτι πάντως τριγώνου αἱ δύο πλευραὶ τῆς λοιπῆς μείζους εἰσὶ πάντη μεταλαμβάνονται. Quod exemplum ibi fusè & eleganter persequitur. Conf. Josephum Blancanum Aristotelis loca Mathematica ex omnibus ejus operibus collecta peculiari opere eruditè explicantem p. 70. n. 83.

XXIV. Antequam autem hunc Syllogismum describamus, meminisse oportet, opponi eundem Demonstrativo, atque cum isto in hoc quidem convenire, quod proprias alicui scientiæ adhibeat propositiones: discrepare autem, quod vel alterutram, vel utramque præmissarum falsam assumat; unde fit, ut falsam quoque inferat conclusionem. Atque hinc Aristoteles sub operis Topici initium Syllogismum Apateticum describit: quod ἔτι ἐκ ἀληθῶν καὶ πρώτων συλλογίζεται, ἔτι ἐξ ἐνδόξων, ἀλλ' ἐκ τῶν οὐκ ἐπισημῶν ἀληθειῶν, ἀλλ' ἐκ τῶν ἀληθῶν δέ. *nec ex veris & primis, nec ex probabilibus, sed ex propriis scientia sumtionibus, non tamen veris, constat*: Nobis liceat ejus naturam ita adumbrare, quod fit Syllogismus, qui, cum ex principio illi quidem scientiæ, ad quam conclusio pertinet, proprio, sed vel falso vel malè applicatō sit exstructus, ad parientiam ignorantiam est idoneus. v.g. memorat Busbequius Epist. i. p. 15. Turcis persuasum esse, pares poenas post hanc vitam luere, qui semel, quàm qui sæpius peccarint, atque ex hoc falso principio ipsis contingere scribit, *ut ubi semel vinum gustaverint, potare pergant: quod veluti pœnâ jam commissâ peccent impunè, ebrietatēque in lucro ponant*. Eiusdem farinae est ratio, quâ in Orientali India Benjanorum secta ob creditam transmigrationem animæ hominum demortuorum in bruta animalia à cædibus eorundem, carniūque esu abstinet, tanta superstitione, ut ne vesicam quidem in terram exonerare audeat, metuens, ne vermiculus fortè suffocatus pereat: uti è relatione nonneminis, qui solis decem abhinc annis ex orientalibus istis oris reversus est, commemorat A. Olearius.

XXV. Sicuti autem via ad veritatem deducens simplex est atque plana: Sic illa, quâ ad ignorantiam abripimur,

mur, multiplex est, & variis inflexa divortiiis. Uti tamen
omnis hæc ignorantia Syllogismo comparata, ceu jam
su præmonebamus, vel circa principia, quibus aliquid de-
monstratur, vel circa conclusiones, quæ illis demonstren-
tur, existit: Ita Syllogismo Apatetico inferitur enuncia-
tio falsa, quæ vel principio vel conclusioni veræ opponi-
tur. Et quot modis quidem contingat extrui Syllogi-
smum, qui parit ignorantiam circa ἀπομὰ sive principia
indemonstrabilia, docuit Philosophus I. Post. xvi. se-
quenti statim cap. subjiciens ἄνεσιν Syllogismorum, qui nos
errore in τοῖς μὴ ἀέμωσ ὑπάρχουσιν, ἢ μὴ ὑπάρχουσιν, hoc est,
conclusionibus involvere solent, quod sibi propositum fuis-
se sub finem utriusque capituli disertè indicat. Ubi tamen
illud præmonendum videtur, Aristotelem in præsentia
agere de Syllogismo Apatetico, qui est oppositus Demonstra-
tivo Syllogismo, cujus termini sunt ita comparati, ut prædica-
tum perpetuò cum suo subiecto reciprocetur, atque ut καθόλου
πρῶτον talis propositio existat. uti rectè observat Schegkiius
libro posthumo de Syllogismo Apatetico, p. 4. Scilicet,
uti perfectæ demonstrationis indolem hæcenus Aristo-
teles adumbrârat, ita Syllogismum quoque eum sibi con-
siderandum proposuit, qui illi ipsi ex adverso opponitur.

XXVI. Propositionibus ἀμέσους καὶ ἀτόμους, quæ prin-
cipia aliàs dicuntur, opponuntur ejusdem generis pro-
positiones falsæ. Quandocumque enim prædicatum *putrescibile* per se & universaliter affirmatur de subiecto *cor-
pore mixto*, & non *putrescibile* de eodem per se, atque καθό-
λου negari oportet: Ac rursus, si prædicatum & *immobile*
eodem modo negatur de subiecto *corpore naturali*, oportet
de eodem & *mobile* eadem ratione affirmari. Cùm verò
porrò principia sint vel affirmativa vel negativa, ut I.

Post. xv. ostendit Philosophus, idem discrimen & in iis,
 quæ his adversantur, propositionibus occurrit. Nam quæ
 ἀλόμοις affirmantibus, ἄτομα negantia: negantibus autem
 illis, similia affirmantia opponuntur. Ita v. g. huic: O. lineæ
 à circumferentia ad centrum circuli ductæ sunt æquales:
 adversatur ista; N. lineæ à circumferentia ad centrum cir-
 culi ducti sunt æquales. Neque hîc aliquem turbare de-
 bet, quòd contrariis, non contradictoriis jam usi fuerimus.
 Fecit id jam tum circa omnem hanc doctrinam in falsa-
 rum & verarum oppositione Aristoteles, id quæ meritò;
 ceu rectè ex Philopono h. l. observavit Zabarella p. 867.
*Nam hæ quoque (contraria) in materia necessaria vim habent
 contradictoria, quia statuta aliqua propositione universali verà
 in materia necessaria, necesse est, ejus contrariam falsam esse.*
 Etsi verò qualitas conclusionum in Syllogismis Apate-
 ticis hanc discrepantiam admittat, ratione tamen quan-
 titatis omnes illæ sunt universales. Nam quæ & genuina
 principia demonstrationum talia sunt, nec aliam quanti-
 tatem ipsæ quoque conclusiones in demonstratione pri-
 mæ mensuræ admittunt. Ut verò figuram quoque & mo-
 dum, in quo ejusmodi falsum, sed disciplinæ οἰκείον pro-
 nunciatum, Syllogismo colligi potest, facilius cognosca-
 mus, haut parum conatus nostros juvabunt illa Aristo-
 telica, quæ ex I. Prior. xxvi. hîc repeti merentur: τὸ μὲν
 ἐν καταφατικῶν ἔκαστος ἀπὸ τῆς πρώτης κλήματι δεικνύται μόνως
 καὶ ἀπὸ τῆς μεσσης. τὸ δὲ ἀρνητικῶν ἀπὸ τῆς πρώτης, καὶ ἀπὸ τῆς
 μεσσης, καὶ ἀπὸ μὲν τῆς πρώτης μοναχῶς, ἀπὸ δὲ τῆς μεσσης διχῶς.
*Problema igitur affirmativum universale per solam primam fi-
 guram probatur, unoque per eam modo (Barbara.) Privatium
 autem per primam & per mediam: & per primam quidem uno
 modo (Celarent) per mediam verò duobus modis, (Cesare, Ca-
 mestres)*

metres.) Tandem, ut accuratius iudicium fieri possit, quanam enunciationes sint vel mediatae vel immediate, sive quod idem est, ut conclusiones à principiis rectè dignoscantur, & hoc prænotandum est, quòd, cum duo sint scientiæ nostræ gradus, ὄν & δῖόν, sapius fiat, ut propositio quædam sit in ordine ad scientiam τῆ δῖόν demonstrabilis, quæ tamen non admittat demonstrationem scientiæ τῆ ὄν effectricem, atq; hoc respectu conclusionibus accenseri non debeat. Atq; talia sunt potissimùm ea, quæ sensu ministeriò per inductionem nobis innotescunt, v.g. O. corpus naturale est mutabile. N. animal est sensu destitutum. Quamvis tamen nec pauca etiam ἀπομα sint, quæ neutram demonstrationem, neque τῆ ὄν neque τῆ δῖόν admittunt: qualia sunt: ab æqualibus æqualia si auferas, quæ remanent, sunt æqualia. Nulla res simul est & non est.

XXVII. Si ergò id, quod Syllogismo Aporetico inferitur, opponatur principio neganti vero, erit enunciatio universalis affirmans, atque adeo in solius primæ figuræ solo primo modo probabitur: in quo jam vel utramque præmissarum, vel solam majorem falsam esse contingit. Neque verò nunc operosè demonstrabimus, quando alterum horum necesse sit esse: cùm id abunde jam ab Aristotele I. Post. xvi. ac optimis eiusdem interpretibus, tam Græcis, quàm Latinis præstitum fuerit: nostro etiam instituto sufficere possit exemplis illustrare, quæ ille pro sua à Mathematicis accepta consuetudine Alphabetariis indicavit. Utraque falsa est in hoc Syllogismo: O. imputrescibile est immobile, O. corpus naturale est imputrescibile, E. O. corpus naturale est immobile. Quæ conclusio contraria est alteri pronunciato ἀμέσῳ & ratione τῆ ὄν indemonstrabili: N. corpus naturale est immobile. Solam
verò

verò majorem falsam habet hic λόγος συλλογίζων: O. laudandum est fugiendum. O. actio cum recta ratione conjuncta est laudanda, E. omnis actio cum recta ratione conjuncta est fugienda. Atque hanc imperitiam omnium terribilissimam & stolidissimam esse Themistius h.l. p.41. asserit, quia sibi persuasionem scientia arrogat, & proprietates ejus adsciscit atque vendicat, quod & accepta universaliter est, & regulis scientia usa. Etenim primum primæ figuræ modum demonstrationi maximè esse accommodatum satis colligi potest ex iis, quæ docuit Philosophus l. Post. c. xxiv. & xxv.

XXIIX. Principiis veris affirmantibus opponuntur pronunciata ἀτομα negantia, quæ & in prima & secunda figura colligi posse ex iis, quæ sub finem §. 26. ex Aristotele notavimus, jam est manifestum. In prima quidem figura constructio Syllogismi, quâ illa colliguntur, tribus modis fieri potest: 1. ut utraque præmissarum sit falsa. 2. ut vera existente minore falsa sit major. 3. ut sub vera majori falsa subsumatur minor. Secundi modi exemplū sit hoc: N. quod partem suam includit, est majus sua parte, O. totum partem suam includit, E. N. totum est majus sua parte. Primi istud: N. semivirtus est sectanda, O. honestum est semivirtus E. N. honestum est sectandum. Tertii illud: Quicquid appetitum nostrum sistit, non expetitur propter bonum, O. actio appetitum nostrum sistit, E. N. actio expetitur propter bonum. Quorum omnium Syllogismorum conclusiones adversantur principiis affirmantibus veris: O. totum est majus sua parte, O. honestum est sectandum, O. actio expetitur propter bonum.

XXIX. Similes quoque conclusiones in secunda figura

figura ψευδογροφήμασι colligi posse jam diximus: quorum
 constructionem antequam proponamus, ex II. Prior. II.
 in memoriam revocare necesse est, enunciationem quan-
 dam universalem posse esse vel ὅλως ex toto, vel ἐπί τι ex par-
 te falsam. λέγω δὲ ὅλην ψευδὴν τὴν ἐναντίαν. οἷον εἰ μηδενὶ ὑπάρ-
 χον παντὶ εἰληπται, ἢ εἰ παντὶ μηδενὶ ὑπάρχει. Totam falsam
 voco eam, quæ est contraria vera, ut si summatim fuerit omni ineso-
 se, quæ nulli inest; aut si quod omni inest, nulli acceptum fuerit
 inesse; sive, ut paucis rem complectamur: Tota falsa dicitur
 enunciatio, cujus contraria est vera. ἐπί τι, sive ex par-
 te falsa dicitur, cujus contradictoria est vera, sive, quæ uni-
 versaliter quidem prolata falsa est, mutata tamen in par-
 ticularem evadit vera. Ita hæc falsa est ὅλως: O. vitium est
 sectandum, quia vera est illa: N. vitium est sectandum.
 At ἐπί τι solummodo falsa est illa: N. voluptas est fugien-
 da, quia vera est illa: Q. voluptas est fugienda. His præ-
 missis primò omnium illud certum est, ex propositioni-
 bus omnino & ex toto falsis in hac figura non posse extrui
 Syllogismum Apateticum, qui colligat pronunciatum
 ἀπομὸν falsum: cujus causam reddidit Aristoteles, & ad eius
 mentem luculenter exposuit Johannes Grammaticus p. 113
 quò B. L. hac vice remittimus.

XXX. Quod si verò contingat, ejusmodi pronun-
 ciatum in secundæ figuræ duobus prioribus modis colligi,
 necesse erit, vel utramque præmissarum ex parte
 falsam, vel alterutram solum esse falsam, eamque vel ma-
 jorem vel minorem. ex.gr. Aristoteles opus Politicum
 ab hoc principio orditur: O. societas est propter bonum:
 cujus oppositum colligit hoc ψευδογροφήμα habens utram-
 que præmissarum ex parte falsam: O. quod est propter bo-
 num est diuturnum, N. societas est diuturna, E. N. socie-
 tas est

E

tas est



tas est propter bonum. Porro ratione τὸ ὄν indemonstrabile est, quòd homo sit instructus geminâ manu, cujus contrarium conatur astruere hic λέγω ψαδής habens falsam majorem, veram autem minorem: N. geminâ manu instructum est animal, O. homo est animal, E. N. homo est geminâ manu instructus. Tandem scientiæ per se atque ἀμέσως competit, quòd acquiratur demonstratione, ut adeo eodem quoque rigore necessum sit, falsam esse hanc illi oppositam: N. scientia acquiritur demonstratione, quam hæc deceptoriam ratiocinatio obtrudere poterat, veram majorem, sed falsam continens minorem: Quicquid acquiritur demonstratione, id perficit mentem, N. scientia perficit mentem, E. N. scientia acquiritur demonstratione. Atque ita hætenus constat, quomodo se habeat structura Syllogismi Apatetici, qui vel ex utraque, vel alterutra præmissarum falsa, enunciationem falsam principio vero oppositam, atque adeo immediatam probare conatur.

XXXI. Accedimus jam ad illa ψαδογενήματα, quibus conclusio falsa veræ conclusioni contraria ex propriis alicui scientiæ principiis astruitur. Ubi duo præmonenda sunt 1. Conclusiones ejusmodi esse vel affirmantes vel negantes, & illis quidem universales negantes, his universales affirmantes adversari. 2. Medium, quòd extruitur falsigrapha ratiocinatio, esse vel proprium vel improprium. λέγω δ' ὀνειδιον μέσον δι' ἃ γίνεται τῆς ἀντιφάσεως συλλογισμός. *Proprium medium id appello, per quod fit Syllogismus contradictionis.* 1. Post. xvii. Scilicet medium proprium siue vernaculum hoc loco vocatur, quòd ea, quæ falsæ conclusioni opponitur, vera enunciatio demonstrari potest. Medium non proprium & alienum dicitur, quod nullam vim

vim habet probandi conclusionem veram falsam oppositam. v.g. proprio medio utitur hic Syllogismus: N. animal rationale est capax disciplinæ, O. homo est animal rationale, E. N. homo est capax disciplinæ. Potest enim mediò in oppositum mutato conclusio vera illata adversa hoc modo concludi: O. animal rationale est capax disciplinæ, O. homo est animal rationale, E. O. homo est capax disciplinæ. Sed medio non proprio utitur hic Syllogismus deceptorius: N. vitium naturæ est consentaneum, O. justitia est vitium, E. N. justitia naturæ est consentanea. Neque enim hoc medio gigni potest Syllogismus colligens, O. justitiam esse naturæ consentaneam: quod si quis facere tentarit, experietur utramque præmissarum fore negantem: è quo earundem conjugio nascitur ἀσυλλογισία.

XXXII. Atque hinc statim monet Philosophus in prima figura ex proprio medio συλλογισμὸν τῆς ψευδῆς Syllogismum falsi neque affirmativum, neque negativum confici posse, cujus utraque præmissarum sit falsa, sed solum quidem majorem posse esse falsam veram semper existente minore: Quia enim medium proprium hinc est acceptum, necesse est, omnem hujusmodi Apateticum Syllogismo τῆς ἀληθείας ejusdem figuræ corrigi, atque ita in demonstrativum commutari. Cum verò minor in prima figura sit affirmans, si hæc falsa esset, vera jam foret opposita illi negans, quâ ratione in Syllogismo hoc posteriori nulla foret formalis consequentia. v.g. Conclusio est: N. virtus est affectus: cui opponitur falsa hæc ἐμμεσθῆ enunciatio, O. virtus est affectus, quæ tali pseudographe- mate stabiliri potest: Quicquid laudatur, est affectus, O. virtus laudatur, E. O. virtus est affectus. Ubi medium ap-
E 2 paret

paret esse *ἀδικεῖον*, cum eò in oppositum mutato, oppositum conclusionis falsæ probari possit: quò factò, & majore falsâ in hanc veram commutatâ: N. quod laudatur, est affectus, jam sit tale *Φιλοσόφημα*: N. quod laudatur, est affectus; O. virtus laudatur, E. N. virtus est affectus. Quod si verò minorem illam: O. virtus laudatur; contingeret in Syllogismo deceptorio esse falsam, vera foret ejus opposita negans, quâ ratione in prima figura non fieret Syllogismus.

XXXIII. Si verò ad probandam conclusionem falsam medium non proprium fuerit assumptum, vel comprehendetur illud sub majori extremo, vel sub eodem non continebitur: Quoties jam prior illa *ἔξις* inter duos istos terminos locum habuerit, oritur Syllogismus in secundo primæ figuræ modo, habebitque ille utramque præmissarum falsam, v.g. N. qualitas est mutabilis, O. res naturalis est qualitas, E. N. res naturalis est mutabilis. Si verò posteriori modo medium ad majorem fuerit affectum, existit Syllogismus, cujus major quidem vera, sed falsa sit minor, v.g. N. amicitia inter dissimiles est stabilis, O. amicitia honesta est amicitia inter dissimiles, E. N. amicitia honesta est stabilis. Atque hæc de constructione *ψευδογενήματων*, quorum conclusio sit propositio mediata falsa, dixisse sufficiat.

XXXIV. In secunda figura ambabus præmissis existentibus *ὅλως* falsis non fit Syllogismus Apateticus enunciationum mediatarum. Cum enim in demonstratione omnes propositiones debeant habere nexum terminorum essentialem, cujus meritò prædicatum conclusionis verè & essentialiter dicatur de ejusdem subjecto, nullum dari potest medium, quod cum in majori dicatur de prædicato

dicato, non possit in minori dici de subiecto. Etenim constat, quod, quicquid prædicatur de aliquo tanquam de subiecto, id rursus prædicetur de inferioribus, de quibus illud eodem modo ulterius dicitur. Ast hoc nil impedit, quod minus alterutra præmissarum existente verâ, altera ex toto possit esse falsa, quâ ratione tum in primo, tum in secundo modo Apateticus constructur: ceu vel sola hæc testantur exempla: O. virtus est laudabilis, N. mansuetudo est laudabilis, E. N. mansuetudo est virtus. Item: N. materiatum est mutabile, O. corpus naturale est mutabile, E. N. corpus naturale est materiatum.

XXXV. A secunda figura ad primam revertimur: ubi illud jam constat, fieri non posse, ut ex proprio medio construatur Syllogismus Apateticus, utramque præmissarum habens falsam: sed semper necesse esse, ut minor sit vera. Ast si medium non proprium in eadem assumptum fuerit, tribus modis falsam contingit inferri conclusionem affirmantem veræ neganti oppositam. 1. ut verâ majore sit falsa minor, v.g. O. virtus est sectanda, O. avaritia est virtus, E. O. avaritia est sectanda. 2. ut minori verâ falsa existat major: v.g. O. vitium consistit in medio rationis, O. audacia est vitium, E. O. audacia consistit in medio rationis. 3. ut utraque præmissarum sit falsa, v.g. O. scientia est animal, O. sonus est scientia, E. O. sonus est animal. *Quotupliciter igitur, & per quæ possint effici deceptiones Syllogistica, tam in immediatis, quàm in iis, quæ per demonstrationem probantur, perspicuum est.* Horum jam omnium, qui pleniorum expositionem ac demonstrationem cognoscere cupit, illum ad Aristotelem, ejusque optimos interpretes, cum primis verò ad Doctiss. Schegkii posthumum opusculum de Syllogismo Apatetico ab ipso nepote editum dimittimus. XXXVI.

XXXVI. Postquam varios modos, quibus Syllogismi Apatetici construuntur, habemus exploratos, minorijam operâ deprehendere poterimus, in utrâ præmissarum falsum delitescat. Namque aut in utrâque aut in alterutrâ: atque tum vel in majori vel in minori illud erit quærendum: quod omne, quando & quomodo contingat, jam est manifestum. Atque hîc jam ipse ordo nos monet, ut, quomodo dilui debeat $\psi\lambda\delta\omicron\gamma\epsilon\acute{\alpha}\Phi\eta\mu\alpha$, paucis adjiciamus. Fit itaque illud tribus potissimum modis. 1. Aliquando ea præmissarum, ubi latet falsitas, simpliciter negatur. v.g. si quis ita fuerit argumentatus: Quicquid generatur ex cibo, id cibo jam actu inerat; Sanguis generatur ex cibo, E. sanguis cibo jam actu inerat, ubi major sufficienti & justa adjecta ratione est neganda. 2. Aliquando principii, quod malè intellectum ad falsam conclusionem inferendam adhibitum fuerat, sententia rectè explicatur, & adhibita limitatione ac distinctione quadam ostenditur, illud ad conclusionem præsentem malè translatum fuisse. v.g. si quis ita fuerit argumentatus: O. lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum sunt æquales, Semicirculus & Diameter sunt lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum, E. Semicirculus & Diameter sunt æquales. Ubi $\psi\epsilon\acute{\iota}\delta\theta$ in conclusionem promanavit ex majore, quæ de solis lineis rectis per idem spatium ductis intelligi debebat; quâ ratione sub ejusdem subiecto nequaquam semicirculus & diameter continentur. Atque huc pertinent in Theologia omnia $\psi\lambda\delta\omicron\gamma\epsilon\acute{\alpha}\Phi\eta\mu\alpha\tau\alpha$, quibus ex dictis scripturæ malè intellectis, vel violenter detortis, olim Ariani Divinitatem Filii Dei impugnare, vel hodie Pontificii nova Fidei, Sacramentorum atque Morum dogmata præter Scripturam S. in vecta stabilire

bilire conantur. Uti enim veræ & propriè dictæ demon-
strationes in hac disciplinarum sanctissimâ è dictis Scri-
pturæ bene intellectis & rectè applicatis extruuntur: Ita
si alterutrum horum neglectum fuerit, plurima *ψευδογρα-
φήματα* existunt, unde hæreses magno numero in Eccle-
siam intrudi necessum est.

XXXVII. Ut verò perfectiùs natura Syllogismi Pseu-
dographi intelligatur, haut abs re fuerit, eundem cum
aliis Syllogismorum speciebus conferre, quidve cum il-
lis vel affine vel diversum habeat, inquirere. Præterquam
enim, quod hæc oppositorum contemplatio non parum
ad indolem hujus Syllogismi illustrandam faciat, iudicium
logicum, quod quidem anima est sapientiæ, confirmabi-
tur, ut Apateticos à scientificis, & ab utrisque Sophisticos
fecernamus: quod is demum prudenter faciet, qui quæ
his omnibus communia, quæve singulis sint propria, ac-
curatè habet perspectum. Omnino enim verissimum est
Socratis apud Platonem in Phædro p. 264. monitum: *Δὲ
ἀρετὴ τὸν μέλλοντα αὐτὸν μὴ ἀπατήσασθαι τῆς ὁμοιότητος τῶν ὄντων καὶ
ἀνομοιότητος ἀκρίβως διδέναι. Oportet eum, quicumque ipse mini-
mè decipi vult, similitudinem & dissimilitudinem rerum exqui-
sité dignoscere.* Neque verò nunc eos, de quibus hîc agi-
mus, Syllogismos cum Dialecticis, sed Apodicticis & So-
phisticis tantummodo conferemus, quia illis ex adverbo
sunt oppositi, cum his autem vulgari Logicorum errore
confundi solent. Quod ipsum, quàm ingenti cum erro-
re, nec non solidæ doctrinæ detrimentò conjunctum sit,
ex iis, quæ hæc de re proferemus, haut poterit esse ob-
scurum.

XXXIX. Ut ergò à Syllogismo Apodictico, ejusque
& Apatetici communitatibus & proprietatibus exordia-
mur,,

diamur, videntur hæc Syllogismorum species his ferè con-
venire modis. I. Quòd uterque ratione formæ sit verus
Syllogismus. Omnino enim utrique competit definitio
Syllogismi I. Prior. I. tradita, quòd sit *Oratio, in qua posita
quibusdam aliud quiddam diversum ab his, qua posita sunt, ne-
cessario accidit.* Quam Syllogismi definitionem ubi Phi-
losophus I, Top. I. repetiisset, illicò *ψευδογράφημα* quo-
que inter species Syllogismorum recenset. Atque hinc
fit, ut pleraque, quæ de figuris, divisionibus, Analyti, po-
testatibus, ac *ἀδυναμίαις* Syllogismorum in Prioribus Ana-
lyticis ab Aristotele, methodo omnem admirationem ex-
cedente, tradita sunt, non minùs Apateticis, quàm De-
monstrativis Syllogismis accommodari possint. II. Nec
minùs communis est utrique doctrina *περὶ εὐπορίας προτά-
σεων*, quæ docet rationem, quâ proposito problemati vel
probando, vel destruendo accommodatum investigari
possit medium, *ὀμφαλος φιλοσοφίας* Umbilicus Philosophiæ
propterea Græcis quibusdam dicta; nostro autem ævo,
quo ad multorum *ἀψικρίας* doctrinam non pauci accom-
modant, ferè neglecta, usu certè parum confirmata. Ne-
que verò ad probandum pronunciatum aliquod adhibe-
tur medium, quin illud vel ad antecedentia, vel conse-
quentia, vel repugnantia revocare liceat; quæ singula, qui
circa prædicatum & subjectum propositionis in promptu
habet, faciliùs deprehendet, quò mediò vel Apodicticus,
vel Apateticus Syllogismus construi possit: *Ἡ μὲν ἔν ὁδὸς
καὶ πάντων ἡ αὐτὴ, καὶ περὶ φιλοσοφίας καὶ περὶ τέχνην ὀποσωνῆν, καὶ
μάθημα. δεῖ γὰρ τὰ ὑπάρχοντα, καὶ οἷς ὑπάρχει περὶ ἑκάστου ἀθρεῖν,
καὶ τῶν εἰς πλείστον ὀπορεῖν, καὶ ταῦτα διὰ τῶν τριῶν ὄρων σκο-
πεῖν, ἀνασκηδάζοντα μὲν ὡδί. κατὰσκηδάζοντα δὲ ὡδί. Οὐκίμια
εἰς αὐτὴν εἰς αὐτὴν, εἰς αὐτὴν ἐν φιλοσοφίᾳ, εἰς αὐτὴν ἐν ἀρτι ἑκάστῃ*

atque disciplinam. Oportet enim quovis problemate proposito
ea colligere, quæ insunt, & quæ subjiciuntur: horumque copiam
quàm maximam habere: Et hæc per tres terminos considerare, hoc
modo si evertatur, illos adstruatur. I. Prior. XXX.

XXXIX. III. conveniunt, quod uterque Syllogi-
smus conficiatur ἐκ πρώτων καὶ ἀμέσων ex primis & immediatis.
ἢ ἐκ ποιέτων, ἃ Διά τινῶν πρώτων τῆς ψῆς αὐτῆ γνώσεως τῶ δέχλω
εἰληθε qua à quibusdam primis sua cognitionis principium sumserint
I. Top. I. Atque de demonstrationibus quidem constat,
in harum analysi tandem ad primum aliquod illud-
que ἀναπόδεικτον principium devenire necesse esse: quâ de re
exstat aureus locus I I X. Top. I I I. ἀδύνατον δὲ ποδείξαι τι μὴ
ἀρξάμενον ἀπὸ τῶν οἰκείων δέχων καὶ συνερᾶν μέχρι τῶν ἐχά-
των. IV. uterque ille talia assumit principia, quæ
sunt οἰκεία τῷ δεικνυμένῳ propria ejus quod demonstratur:
Quo ipso uti demonstrativus Syllogismus à Dialectico: ita
quoque Apateticus distat à Sophistico. Cùm enim demon-
stratio solidam rerum scientiam sibi habeat propositam, ea-
que non ex accidentibus, quæ rem circumstant, sed ex in-
timis ipsius subjecti visceribus debeat depromi, omninò
oportet principia existere συγχεῖν τοῖς πρώτοις necessariâ
quâdam conjunctione sociata subjecto & predicato conclusionis de-
monstranda, uti Planerus quæst. in Anal. post. p. 117, sive sub-
jectis solis, uti Præceptor ejus Schegkii, interpretantur
lib. IV. de demonstrat. p. 119. Atque hoc ipsum imitatur
Syllogismus Apateticus, qui & ipse eas assumit propositio-
nes, quæ vel principiis vel conclusionibus alicui scientiæ pro-
priis refragantur: iisque talia pronunciata stabilire satagit,
quæ & ipsa vel principiis vel conclusionibus ejusdem oppo-
nuntur: ceu manifestum faciunt exempla horum Syllogi-
smorum jam supra in medium producta.

F

XL.



XL. (V.) Hinc fit, ut Syllogismus uterque non sit
ἀντιφάσεως συλλογισμὸς ἄρτιος ad colligenda contradicto-
ria 1. Elench. Soph. II. quod aliàs Dialectico atque Rhetorico
 Syllogismo est proprium. Cùm enim hi construuntur
ἐκ τῶν ἐσδόξων καὶ πιθανῶν ex iis quæ hominum opinionibus
ac persuasioni sunt accommodata, hominum autem, quas de re-
 bus fovent sententiæ multùm discrepent, fieri aliter non po-
 test, quin rationes Dialecticæ & Rhetoricæ contrariis con-
 clusionibus probandis vel persuadendis adhiberi queant: unde
 quoque hæ disciplinæ Aristoteli, quia methodum illas
 investigandi tradunt, propriè dicuntur *δυνάμεις potentia*, quia
 scilicet *τρόπον τινὰ μετέχουσιν ἀμφοῖν quodammodo ambarum*
participes sunt. 1. Rhet. I. Ast longè diversa ratio est Syllo-
 gismorum Apateticorum & Demonstrativorum; quorum
 cum hiè solis veris, illi ex falsis alicujus scientiæ principiis
 sint confecti, posteriores quidem ad solum verum, priores
 ad solum falsum colligendum sunt idonei. Namque ut, ex
 veris principiis in bonâ formâ non nisi vera sequitur con-
 clusio: ita contra ratione materiæ demonstrationi idoneæ
 ex falsis nunquam sequitur vera conclusio; etsi ratione for-
 mæ ac dispositionis Syllogisticæ quandoque verum colligi
 posse II. Prior. cap. II. III. & IV. abundè fuerit demon-
 stratum.

XLI. (VI) Habet & hoc uterque Syllogismus
 commune, quod ad peculiarem disciplinam perti-
 neant, cùm Dialectici atque Rhetorici Syllogismi non
 sint *γένος ἑνὸς ἀφωρισμένον unius generis definiti* 1. Rhet.
 I. §. 41. & cap. II. §. 3. 4. sive uti Philosophus loquitur ib.
 §. 59. *ὅ ποιήσεται πρὸς ἑδὲν γένος ἑμφορον.* Non efficiant in ali-
 quo.

quo genere prudentem. Etenim constant ex propositionibus communibus, quarum ea est indoles, ut rebus diversissimarum scientiarum commodè applicari queant. Cùm verò reliquæ scientiæ suam singulæ habeant γένος ὑποκείμενον, quæcunque in his sunt sive ἀποδείξεις sive ψευδογράφηματα, illi rerum generi, de quo disciplina agit, propria sunt quasi mancipata. Namque sicuti illæ ex intimis subjecti visceribus depromuntur, ita hæc ἐξ ἀντικειμένωνταῖς ἀρχαῖς exiis, quæ opposita sunt vernaculis alicujus scientiæ principis extruuntur I. Post. II.

XLII. Hinc (VII.) apparet, quod iudicium de Syllogismo tam Demonstrativo quàm Apatetico soli illi deferri debeat, qui disciplinæ ejus, ad quam pertinet, solidam scientiam profitetur. Pertinet enim proprium hoc iudicium non ad formam, sed materiam enunciationum, è quibus Syllogismus aliquis est constructus: quæ ipsæ an veræ vel falsæ, necessariæ aut contingentes, propriæ vel communes sint non nisi is accuratè dijudicabit, qui accuratam ipsius subjecti sibi paravit scientiam. Sicuti enim solius Geometriæ est iudicare, an diagramma ad demonstrandum theorema propositum rectè nec ne sit descriptum: ita is demum demonstrationem vel ψευδογράφημα dignoscet, qui indolem principiorum è quibus Syllogismus aliquis est constructus, penitus habet perspectam. Conf. I. de Elench. IX.

XLIII. Postremo (VIII.) & conclusionibus probandis aliquo modo conveniunt Apatetici cum Apodicticis Syllogismis, quod ipse jam observavit Aristoteles I. c. ὅσα γὰρ εἰσὶν ἀποδείξεις, ἐστὶ καὶ ἐλέγξεις πᾶν μέρος τῶν ἀντίφασιν τῆ ἀληθείας, οἷον, εἰ σύμμετρον τῶν ἀμέμετρον ἔθηκεν, ἐλέ-

ἐλέγξειν ἂν τις τῆ ἀποδείξει, ὅτι ἀσύμμετροι. Quæcunque licet
demonstrare, etiam licet redarguere eum, qui thesin veritati contra-
dicentem posuerit. v. g. si diametrum posuerit habere communem
mensuram: redarguere eum quispiam potest, demonstrans non
habere communem mensuram. Neque hæc asertio funda-
mento suo caret. Quæcunque enim conclusio vera ex
principiis veris atque οἰκείοις est deducta ejus oppo-
situm colligitur, simul ac principiis illius veris fuerit oppo-
situm falsum assumtum. Vnde eodem loco Philosophus
non minus falsos: quam veros in scientiis Elenchos ἐν
ἀπειροῖς infinitos esse docet.

XLIV. Sed instituti nostriratio nos monet, ut post-
quam similitudinem Demonstrativorum & Apateticorum
Syllogismorum exposuimus, jam ad differentias quoque
eorundem accedamus. Hoc itaque i. jam sæpius nobis mo-
nitum est illos quidem ἐξ τῶν κατ' ἀλήθειαν διαγεγραμμένων
ex iis qua verè inesse describuntur h.e. veris, hos autem ex fal-
sis principiis, quæve adeò veris atque vernaculis alicujus
scientiæ principiis adversantur, vel certè non appositè usur-
panur exstrui. Hinc potè II. fit, quod demonstratio
sit instrumentum scientiæ acquirendæ accommoda-
tum, unde I. Prior II. συλλογισμὸς ἐπιστημονικὸς definirur:
Apateticus verò Syllogismus pro fine habeat ἀγνοίαν ignoran-
tiam, & quidem τῆς ἀληθείας pravæ affectionis: unde quoque
συλλογισμὸς ἀγνοίας, Syllogismus ignorantia, nec non τὸ ψεῦδος
falsi vocatur vid. §. XXXIV. Namq; uti demōstratio eo ipso
scientiæ inquirendæ inservit, quod progrediatur ex veris, primis
atque immediatis, prioribus ac notioribus, & causis conclusionis: Ita
ψεῦδογέγηθημα eo ipso, quod ex primis quibusdam falsis,
unitamen scientiæ propriis, est exstructum non nisi igno-
rantiâ

rantiâ , scientiæ contrariè oppositâ , animum inficere potest.

XLV. (III.) quod cùm in demonstratione, saltem potissima, vera causa afferatur δι' ἢν πρᾶγμα δὲ propter quam res est. Apateticus si&am solummodo afferat, Tales fere erant Democriti ac Anaxagoræ rationes, quibus causas rerum atque Φαινόμενων naturalium explicare conabantur, postquam ille quidem, παναερμία, hic ὁμοιομερία suam induxisset, de quibus legi merentur, quæ Aristoteles cum alibi, tum potissimum in 1. Phys. perscripsit. Atque hinc porrò IV. fit, ut demonstrationibus quidem utatur, quicumque vel ipsemet in veri investigatione est occupatus, vel indolis suæ memor propriam scientiam docendo cum aliis communicare satagit: unde Syllogismi demonstrativi dicuntur διδασκαλικοὶ doctrinales 1. de Elench. sophist. II. εἶτοι γὰρ διδάσκουσιν, οἱ τὰς αἰτίας λέγοντες ὡς ἐκαστον docent, qui causam rei afferunt 1. Metaph. II. Ast Apatetico Syllogismo pravi doctores decipiuntur, aliosque decipiunt, quibus vel ob sensuum, vel intellectus stuporem, vel analytices imperitiam, vel aliud quoddam objectum impedimentum, quorum aliqua supra enarravimus, ad intima veritatis penetralia pervenire nondum fuit concessum.

XLVI. (V.) Quicumque scientiæ alicujus solidam atque scientificam sibi paravit cognitionem, quâ & conclusiones ejus & ex quibus hæ deducuntur principia penitus habeat cognita, huic in proclivi erit non modo deprehendere ψεῦδος Syllogismi Apatetici, verum quoque corrigere: quod Syllogismo ἀληθείας aliquando fieri posse supra ostendimus. Vbi & hoc observari meretur, incumbere quidem Analytico alicujus scientiæ Doctori, ut principia falsa Apateticarum rationum , oppositis veris dissolvat, atque

ita refutet eum, qui aliquid approbat, quod suis principiis est
adversum: ne utiquam tamen ad officium ejus pertinere, ut
principiorum suæ scientiæ veritatem neganti sese opponat,
sed id jam pertinere ad Dialecticam, quam id circo *περὶ τῶν
ἀπατῶν τῶν μεθόδων δεχάς ὁδὸν ἔχειν* ad omnium scientiarum
principia viam continere dixerat I. Top. II. Hinc I. Phys. II.
postquam illorum errorem indicasset qui talia statuebant,
quibus ipsa natura tollebatur, subjicit: *εἰδὲ λύειν ἀπατῶν
προσημει, ἀλλ' ὅσα ἐκ τῶν δεχῶν τις ὀπιδεικνύς ψεύδειται.* Neque
omnia diluere convenit, sed ea tantum, quæ ex principiis demon-
strando falsa concludunt. Quem locum, eruditè *Ἐρμ. Φράζει*
Themistius ὁ ἐν Φραδῆς p. 104. & seq. Sed quod diximus de
sapiente, non valet de eo, qui Apateticis Syllogismis semet-
ipsum decipit: qui cū sit genuinæ ejus scientiæ, ad quam
λόγῳ ille ψεύδης pertinet, nondum plenè peritus, nec fal-
sum animadvertit, nec illum sive corrigere, sive discutere
novit.

XLVII. VI. Accedit & hæc differentia, quod cū Ana-
lyticus demonstrationes ad docendum discipulum suum
adhibeat, à prolixis verborum ambagibus absteineat, neque
facilè admisceat, quæ ad præsens institutum non faciunt. Sed
qui de industriâ alterum Syllogismo Apatetico circumveni-
re conatur, verbosior est, datque operam, ut vel falsum
principium illi obtrudat, vel animum ejusdem à sollicito
earum propositionum examine abstrahat, in quibus falsæ
conclusionis origo latet. Dudum id observavit Aristote-
les VIII. Top. I. quando ita scripsit: *propterea utile est produ-
cere orationem ἔ interjicere ea, quæ nihil faciunt ad disputatio-
nem, quemadmodum faciunt οἱ ψεύδοι γὰρ φέροντες.* Cū enim mul-
ta sunt, incertum est, in quo falsitas consistat. Ad quem locum
elegantè ita commentatur Græcus Interpres p. 254. *ὁ ποιῶν*

Φησι

Φησι καὶ τὰς ψευδογραφεῖας ἐν γεωμετρῆα. Πολλὰς γὰρ ἀγνοῦντες
γραμμὰς μηδὲν χρησίμους πρὸς τὸ ψευδογράφημα τὸ δεικνύμενον,
καὶ τινὰ πρὸς αὐτῶν λέγοντες, λεληθότων. καὶ τὰς εἰς τὸ ψευδὸς φερῶ-
σας ἐγγράφουσιν. Αἰτιολόγησεν γὰρ καὶ αἰφαιέσεσθαι τὸ ψευδὸς ἐν πλείο-
σι, καὶ ὡς βύσῳ τέρην.

XLVIII. VII. Tandem eaque ultima differentia
quam hīc annotare lubet, est, quod demonstratio aliquan-
do commurari possit in definitionem ἴσως sive πῶσως ab illā
differentem II. Post. X. Quem fructum sanè ex Syllogi-
smo Apatetico minimè sperare licet, cūm is non veras, sed
fictas rerum causas tradat, è quibus veræ atque accuratæ
alicujus rei definitiones nequaquam constituuntur, cum de-
finitio sit λόγος ὁ τὸ πῶς εἶναι σημαίνων oratio, quæ significat
quid res sit.

XLIX. Et si porro inter Apateticum & Sophisticum
Syllogismum cognatio quædam & affinitas sit, quâ fit ut vul-
go confundantur, revera tamen maxima simul inter eos-
dem est distantia : quæ ut rectè cognoscatur, præcipuas
adhuc utriusque Syllogismi differentias subjungemus. Pri-
mò itaque differunt oppositis. Cūm enim Apateticus Syl-
logismus opponatur Demonstrativo: Dialectico adversetur
Sophisticus. Atque hoc ipsum satis indicat Aristoteles,
quando non modo I. Top. I. quatuor Syllogismorum ge-
nera recenset, Demonstrativum, Dialecticum, Sophisticum
& Apateticum: verūm quoque disertè in I. Elench. cap. XI.
ita scripsit : Ὁ δὲ ἐριστικός ἐστὶ πῶς ἕτως ἔχων πρὸς τὸν Διλεκτι-
κόν, ὡς ὁ ψευδὸς πρὸς τὸν γεωμετρικόν. ἐκ γὰρ τῶν αὐτῶν τῆ
Διλεκτικῆ ὁ ψευδολογίζει. κατὰπερ καὶ ὁ ψευδὸς πρὸς τὸν γεω-
μέτρω. ἀλλ' ὁ ὑπὸ σὺν ἐριστικός, ὅτι ἐκ τῶν δέχων καὶ συμπερα-
σμάτων τῶν ὑπὸ τῶν τέχνων ψευδογραφεῖ. ὁ δὲ ὑπὸ τῶν Διλε-
κτικῶν, πρὸς μὲν τῶν ἀλλὰ, ὅτι ἐριστικός ἐστὶ δῆλον. Litigiosus autē est
quis.

quodammodo sic affectus ad dialecticum ut pseudographus ad Geometricum. Litigiosus ex iis vitiosè concludit, in quibus versatur Dialectica: quomodo & Pseudographus affectus est ad Geometriam. Sed hic quidem non est litigiosus, quia ex principiis & conclusionibus arti subiectis falso describit.

L. II. Uti Syllogismi Demonstrativi à Dialecticis differunt, quòd illi ex veris & subiecto alicujus disciplinae propriis, hi ex communibus quibusdam ἐνδόξοις extruuntur: Sic Apatetici Syllogismi differunt à Sophisticis, quòd illi ex his, quæ domesticis scientiæ principiis adversantur, hi ex iis, quæ videntur esse ἐνδόξα, cùm non sint, conficiantur. Atque hoc Philosophus significavit, quando paulò ante dicebat, litigiosum (Sophisticum) ex iis vitiosè concludere, in quibus versatur Dialectica: quòd sub initium ejusdem capitis his quoque verbis asseruerat: ὁ μὲν ἐν τῷ πρῶτῳ θεωρῶν τὰ κοινὰ Διλεκτικὸς ἔστιν· ὁ δὲ τῶν Φαινόμενων, σοφιστικὸς. Qui igitur revera considerat communia, Dialecticus est: qui verò hoc facere videtur, Sophista. Quid quòd de Elench. cap. II. nec non sub initium totius organi exoterici Sophisticos hòc ipsò à reliquis Syllogismorum speciebus sejunxerat, quòd sint ἐκ τῶν Φαινομένων ἐνδόξων, μὴ ὄντων δὲ συλλογιστικοί, ἢ Φαινόμενοι συλλογιστικοί ex ἡς, quæ videntur probabilia, cùm revera talia non sint apti ad concludendum, aut videntur apti. Quibus ultimis verbis significatur differentia Syllogismorum Sophisticorum, quòd alii sint συλλογισμοὶ ἐκ τῶν Φαινομένων ἐνδόξων, ex apparenter probabilibus: alii ἐκ τῶν Φαινομένων ἐνδόξων Φαινόμενοι ex apparenter probabilibus apparentes Syllogismi, quos posteriores & materiæ & formæ vitiò laborare hodie dicimus.

LI. (III.)

LI. (III.) Hinc porro contingit, ut Apatetici quidem ad certum quoddam ac definitum rerum genus certamve scientiam pertineant: cujus etiam propterea nomen sibi vendicant, ut dicantur vel Physici vel Ethici, prout ex iis, quæ veris principiis rerum naturalium atque moralium adversantur, sunt exstructi, qua de re vid. Nel. del. de usu Organi pag. 251. & seq. Ast Dialectici, pariter ac Sophistici, quibus opponi eosdem diximus, ad nullum definitum rerum genus pertinent, atque proinde, in quacunque disciplina adhibentur, perpetuò Sophismatum nomen servant. Omnium instar erunt verba Aristolelis ex 1. de Elench. cap. xi. ἐριστικός ὅστις ἔστιν ἕτως ἔχων πάντα ὡς ὁ ψευδογράφος. ἔγδ' ὅτι ψευδολογιστικός ἐξὼ εἰσμένον ἕως γῆρας δέχων, ἀλλὰ περὶ πάντων γῆρας ἔσται ὁ ἐριστικός. *Litigiosus non omnino ita est affectus, ut Pseudographus: quandoquidem litigiosus non est comparatus ad virtuosè concludendum ex principiis definiti alicujus generis, sed in omni genere versatur.* Unde & jam cap. ix. rectè deduxerat, non omnium Elenchorum, qui scilicet cuique disciplinæ sint proprii, sed eorum tantum, qui ad Dialecticam pertinent, præsentī libro locos sumendos esse, ἔτοι γδ' κοῖνοι πρὸς ἅπασαν τέχνην καὶ δύναμιν, namque *communes sunt omnibus artibus & facultatibus.*

LII. (IV.) Uti ergò Apateticus tantummodo aptus est ad eam contradictionis partem probandam, quæ falsa est, ita Sophisticæ rationes sunt συλλογιστικαὶ τῆς ἀντιφάσεως *habent vim concludendi utramque contradictionis partem, tam affirmantem, quam negantem, prout flexiloquis Sophistis fuerit visum: quos idcirco apud Platonem Socrates dicit ἐν τοῖς λόγοις μάχεσθαι καὶ ἐξελέγχειν τὸ αἰεὶ λεγόμενον, ὁμοίως εἰάν ψευδὲς εἴαν τε ἀληθές ἦ. decernere, & id, quod in medium offertur, refutare, sive falsum, sive verum sit.* Dial. de Sophista

G

p. 272.

p. 272. Quos idcirco eleganter ibidem *pancratiastas* eorumque artem *pancratiasticen* appellat.

LIII. (V.) Unde quoque interrogat Sophista eum, qui insidias struit, qua in re non exiguum malæ causæ præsidium collocat; quod facere minimè solet is, qui Apateticò Syllogismò utitur. Atque hoc Sophistarum institutum tum ex Platonis Dialogis, tum ex discipuli ejus Aristotelis lib. de Elench. Soph. nec non ex Gellio lib. xvi. Noct. Att. c. 2. notius est, quam ut hîc explicari debeat.

LIV. (VI.) Memoratu dignum est discrimen, quod inter *ἀγνοια* ignorantiam constituit Aristoteles iv. Metaph. v. quando aliam ad *ἀγνοια*, seu *κτ' ἔπεῖμα* secundum intelligentiam vel rem, aliam *κτ' ἔπεῖμα* secundum nomen existere dicit: illam quidem vocans, quando quis propter ignorantiam in rebus ipsis erroribus involvitur: hanc, quando quis ob nominum æquivocationem aut Orationis ambiguitatem in rebus ipsis cognoscendis hallucinatur. Hinc novum Syllogismorum Apateticorum & Sophisticorum oritur discrimen. Illi enim, cum falsis principiis falsam nos credere faciant conclusionem, ignorantiam *κτ' ἀγνοια* conciliant. Contra Sophistici, quia nominum phrasiumque fucō errorem incrustant, ut plurimum in ignorantiam *κτ' ἔπεῖμα* incautos præcipitare solent. Neque aliud censendus est indicare voluisse Aristoteles, quando de Sophistico Syllogismo pronunciavit, quod sit *φαινόμενος κτ' ἔπεῖμα*, qui nempe videatur secundum rem esse lib. de Elench. xi.

LV. (VII.) Sophistica ratio est eadem cum Syllogismo litigioso, inter quem & Apateticum ingens est discrimen. Etenim Syllogismus *ἐριστικός* litigiosus cum Sophistico *τὸ ἐπιχειμένω* & secundum rem ipsam convenit, solo autem *λόγῳ* seu definitione differt: quæ quidem diversitas

fitas hinc resultat ex fine, dum litigiosus pro fine habet vi-
 ctoriam, sophisticus verò inanem fucatae sapientiae glo-
 riam, quodve ex ea sperat lucrum. Dudum hoc nos do-
 cuit Philosophus, quando loco proximè dicto non modò
 τὰ ψευδογράφηματὰ σακ ἐριστικὰ Pseudographemata minimè esse
 litigiosa asserit: verùm etiam ex intervallo non multo
 subicit: ἢ quidem, qui ipsius victoria gratiâ tales sunt, ἐρι-
 στικὸι ἀνθρώποι καὶ Φιλέριδες litigiosi homines & litium amantes
 esse videntur: qui verò gloria causâ ad lucrum conducentis, So-
 phista. — Idcirco fucatae demonstrationem experunt. Et
 ἴσδὲμ argumentis utuntur litigiosi & Sophista, non tamen eo-
 rundem finium gratiâ: eademq; ratio erit & sophistica & litigio-
 sa, sed non eadem ratione: verùm quâ fucata victoria causa ad-
 hibetur, litigiosa est; quâ verò ut sapientiae opinio comparatur,
 sophistica.

LVI. (VIII.) Apatetici vitium deprehendit atque
 detegit quilibet scientiae Doctor, ad cuius disciplinam fal-
 sa principia, è quibus is conflatu est, pertinent; uti pluri-
 bus jam supra ostendimus. Ast sophismatum discussio per-
 tinet ad Dialecticum. Neque eadem solvit scientiae ali-
 cuius Doctor, nisi quatenus simul est Dialecticus. Hinc
 Philosophus lib. de Elench. cap. ix. τὸν μὲν κατ' ἐκάστην ἴπ-
 σήμῳ ἐλεγχον τὸ ἴπσημον & ἴπτι θεωρεῖν, εἴτε μὴ ὦν φαίνεσθαι, εἴτε
 ἴπτι, καὶ ἴπτι, τὸν δὲ ἐκ τῶν κοινῶν, καὶ ἴπτι μὴδεμίαν τέχνῳ τὸ ἴπ-
 λευκῆ. Sanè Elenchus, qui in quaque scientia cernitur, esse ne
 videatur, an revera sit, & quamobrem, dispicere ad scientiam
 pertinet: qui verò ex communibus sumitur, nec sub ullam artem
 cadit, ad Dialecticum spectat.

LVII. Atque hinc (IX) supra ostendimus, ad osten-
 denda Apateticorum vitia non opus esse peculiaribus præ-
 ceptis; quod in Sophisticis strophis refellendis omnino

aliter se habet. Habent enim illæ *ἄπλοιοι τῶ φαντασίαν*, ut loquitur Philosophus i. Top. i. *superficietenus probabilitatis speciem*, hōc ipō, dum fūco quodam Sophistico fallaciam occultant: Quam larvam ut iisdem facilius detrahamus, & ipsos Sophistas, *δυσδιεγὰ ζῶα*, uti meritō vocavit Plato l. c. p. 233. è latebris in lucem producamus, utile est, locos nosse, in quibus vanitati suæ fucum quærere solent. Quò pertinet illud quoque Aristotelis i. i. Metaph. I. *λύειν γὰρ ὅτι ἐστὶ ἀγνοῦντα τὸν δεσμὸν, solve non est, cū modus ignoratur*. Cujus rei probè ille memor v. i. i. Topicorum libris doctrinam de Elenchis Sophisticis subjunxit; quæ cum iisdem unum continuatum opus constituit, uti manifestum est, finem lib. de Elenchis cum initio Topicorum conferenti: ceu cum plurimis aliis rectè annotavit Jacobus Carpentarius, scholiis, quæ propriæ Organi Aristotelici versionis adjecit p. 130.

LIIIX. (X.) Denique Apatetico Syllogismo quī alios decipit, ab eo fallendi proæresis ut plurimum abesse solet, cujus exemplum habemus in Apateticis veterum Philosophorum Syllogismis, passim refutatis ab Aristotele, quibus ipsi decepti, aliis similem ignorantiam, ignorantes quòd errarent, propinabant. Ast Sophista nebularum venditor, quantus quantus est, ex fraudibus atque fallaciis compositus est; imò hōc ipō à Dialectico distinguitur, quòd, cū hic artem fallendi quidem calleat, eā tam en ad alterum circumveniendum nequaquam abutatur: Sophista autem non solūm facultatis fallendi sit peritus, verūm etiam ex proæresialiis fallaciarum tendiculas struat. Docuit hoc uti pleraque rectè Aristoteles lib. i Rhet. cap. i. *σοφιστὴς μὲν κτ' τῶν παραίρεσιν, ἀγλενικὸς δὲ ἔκτ' τῶν παραίρεσιν, ἀλλὰ κτ' τῶν δυνάμιν*. *Sophista quidem secundum præ-*
electio-

electionem, Dialecticus autem non secundum praelectionem, sed secundum facultatem scilicet novit artem, quâ construuntur sophismatum logi. Atque de proæresi quidem hujusmodi nugivendorum satis constare potest ex appellationibus, quibus nequissima hæc monstra, eorumque improbos mores passim depingit Plato, tum alibi, tum in Sophista: cujus lectio Philosophiæ Studiosis non parum proderit, ut nostro quoque ævo, quò imprimis florere Sophisticam verâ & genuinâ Philosophiâ extinctâ graviter conquestus est Doctissimus Schegkiius lib. 1. de demonstratione pag. 8. impostores illos facilius & agnoscat, & ab eorum vafritie sibi caveat. Nos hac vice amicâ veritate, Musisquæ faventibus nostram hanc Dissertationem obsignamus.

F I N I S.



Subdubito, à *barba* aut *mento* cognomen acuti,
Sustiùs, an doctæ teneas ab acumine *mentis*:
Nam cum *barba* genas tibi nondum vestiât, atque
Non cernam nimio decreſcere acumine *mentum*:
Egrediè tamen ostendis, quod *mentis* acumen
Largiter ille boni tibi fons indulſerit omnis,
Ipſe Deus, (donum certè memorabile & ingens!)
Tuque ipſum expolies rubigine quod ruditatis.
Dignum laude virum! poſt hoc ab acumine *menti*
Non vocitandus eris, ſed cultæ ab acumine *mentis*.

*Ingenio & doctrinâ præſtanti, nec non
induſtrio & modoſto juveni, amico
dilecto, in teſtimonium benevolen-
tiæ f.*

GERHARDVS TITIVS.
S. Theol. D. & Prof. publ. Ord.

ARdua de latebris res eſt educere vera,
Falfa; non minor eſt his remove labor.
Aſt erecta tibi mens eſt ad utrùmque parata,
Et probat has laudes hoc ſchediaſma tuas.
Nec volo plura novæ præconia dicere laudis:
Exterius quærit nemo, quod intus habet.
Tu mo-

Tu modò fac porrò, quod jam facis: & sapiente
Maecte animo, nec te spes tua destituet.
Sed quantum distant mala Ψ υδoγeγφήματα
vero,
Præmia te tantum splendidiora manent.

*Pietate, doctrinâ atq; modestiâ Præstan-
tissimo Domino RESPONDENTI, Dis-
sertationis hujus AUTORI, Cognato
& amico suo dilectissimo, amoris atq;
benevolentia ergò scrib.*

PRÆSES.

L Audantur Martis rigidi qui castra sequuntur,
Quosq; juvat galeis Patrios defendere Lares,
Finibus & procul hinc hostis depellere turmas.
Dignior ast laude est, qui gaudet Palladis armis,
Atq; in Musarum castris sudare, suamque
Artibus ingenuis mentem excoluisse laborat.
Hi sunt, qui vitæ gratissima vota merentur,
Quilibet his summos gaudet decernere honores.
Quos inter minimè es postremus Tu quoq; docte

SPITZ-


SPITZBARTI, claræ decus immortale cohortis:
Dum sub præsidio WIDEBURGI bella duella
Committis, sanæ rimans arcana Sophiæ.
Quapropter meritò summo Te mactat honore
Quilibet, atq; Tuæ miratur mentis acumen.
Nos quoq; gratamur Tibi, perdilectæ Sodalis,
Signa quòd egregiæ doctrinæ clara dedisti.
Perge bonis avibus tantis insistere captis,
Et studiò assiduò scrutari scripta Sophorum,
Sic Tibi laus & honor, noménque, decúsque manebunt,
Et Patriæ eximium decus exspectare licebit!

Per-Eximio atq; Præstantissimo DN. RE-
SPONDENTI, eruditiæ hujus Disputa-
tionis AUTORI, gratulantur

DN. PROFESSORIS HENR. WIDEBURGII
COMMENSALES.







ALVENSLEBEN
T
173




ndem
lit in
neq
em q

utati
rinu
ubm
te no
imen
non f

πο

idi
eb
g

on
m



DISSERTATIO ANALYTICA
DE
SYLLOGISMO
APATETICO

QVAM
D. O. M. A.
IN ILLVSTRI IVLIA
PRÆSIDE

HENRICO WIDEBURGIO
PHILOSOPH. ET OPT. ART. MAG.
LOGICES PROFESSORE PVBLI-
CO ET ORDINARIO
DNO PATRONO AC HOSPITE SUO
OMNI HONORIS ET OBSERVANTIÆ CULTU
PROSEQUENDO

*Publico Eruditorum Examine
sistit*

JOHANN REINHARD Spitzbart Eldage ffensis
AUTOR ET RESPONDENS

*Ad D. XXVII. Martij
Anno MDCC LXXIIX.*

IN MAGNO IVLEO.

Helmstedij, Typis HENR. DAV. MULLERI Acad. Typogr.

2

15

T 173

